QVAESTIONVM CRITICARVM

LIBER PRIMVS

QVEM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN VNIVERSITATE LIPSIENSI

CONSENSV

IN AVDITORIO IVRISCONSVLTORVM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS CONCESSV

PRO IVRIBVS MAGISTERII LIPSIENSIS

OPTIMIS IMPETRANDIS

D. XXV. M. MAII A. MDCCCXXXI.

DEFENDET

REINHOLDVS KLOTZ

STOLLBERGENSIS

AA. LL. MAG. ET PHILOS. DOCT.

ASSVMPTO SOCIO

CAROL. FRID. GOTTHOLDO MEVTZNER

SAXONE E VILLA IOANNIS GEORGII

SEMIN. PHILOL. REGII ET SOCIET. GRAEC. SODALI.

LIPSIAE

TYPIS STARITZII TYPOGR. VNIVERS.

CHRISTIANO DANIELI BECKIO

GODOFREDO HERMANNO

PRAECEPTORIBVS SVMME VENERANDIS

D. D. D.

REINHOLDVS KLOTZ.

Demosth. orat. *in Philipp.* IV. §. 40. ed. Bekk. p. 141. ed. Reisk. *οὐδὲ γὰρ ἐν ταῖς ἰδίαις οἰκίαις ὁρῶ τὸν ἐν ἡλικίᾳ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους οὕτω διακείμενον οὐδ' οὕτως ἀγνώμονα οὐδ' ἄτοπον τῶν ὄντων οὐδένα, ὥστε εἰ μὴ ποιήσουσιν ἅπαντες ὅσ' ἂν αὐτός, οὐ φάσκοντα ποιήσειν οὐδὲν οὐδ' αὐτόν.*

Hoc in loco I. Bekkerus bis vt mihi quidem videtur sine idonea caussa ab ea scriptura discessit, quae quum librorum optimorum consensu tum ea quae hoc loco requiritur sententia maximopere commendatur. ac primum quidem quod ex I. I. Reiskii coniectura pro *τὸν ἐν ἡλικίᾳ* edidit *τῶν ἐν ἡλικίᾳ*, id neque vllo libro confirmatur et huius sententiae quam debebat iuuare videtur impedire intelligentiam: quum ad genitiuum hunc *τῶν ἐν ἡλικίᾳ* aliquid ex iis quae sequuntur verbis sit repetendum, quod etsi potest fieri, non intelligitur tamen cur si scripsit auctor huius orationis *τῶν ἐν ἡλικίᾳ* non statim adiunxerit *οὐδένα*, id aliunde demum assumi voluerit. contra si legitur *τὸν ἐν ἡλικίᾳ* simplex est ac plana omnis huius loci sententia. *ὁ ἐν ἡλικίᾳ* enim quum omnem qui est minor aetate significet optime potest cum plurali numero *πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους* coniungi: deinde si legitur *τὸν ἐν ἡλικίᾳ* facilius etiam illud quod ipsum quoque hoc loco facit oppositionem *τὸν ἐν ἡλικίᾳ* et *τῶν ὄντων οὐδένα* quorsum sit accipiendum intelligitur. orator enim non solum eum qui esset aetate minor cum grandioribus natu se negat vidisse ita versantem, verum neminem eorum omnium qui viuant tam absurdum, vt si non omnes quod ipse facerent se ne ipsum quidem facturum diceret. id recte videtur G. H. Schaeferus intellexisse quum negauit

verba τὸν ἐν ἡλικίᾳ mutanda fuisse. illud autem quod alterum dixi esse a Bekkero neglectum hoc loco miror quod ne a Schaefero quidem est reprehensum. libri enim si non omnes at plurimi certe et optimi pro φάσκειν quod mihi videtur ex coniectura siue Morelli siue Lambini esse profectum φάσκοντα habent. id quum esset ab H. Wolfio atque A. Augero ita receptum vt dicerent esse participium loco infinitiui positum, vehementer eos castigauit Schaeferus. sed tamen ne ego quidem possum Schaefero assentiri et Bekkero qui infinitiuum vnice esse probandum existimarunt, longe elegantiorem fore et concinniorem orationem recepto participio non viderunt. quod ne confidentius dixisse videar qua sit ratione accipiendum exponam et idoneis exemplis quae videatur constituenda regula docebo, praesertim quum a nullo nostrorum grammaticorum hoc Graecae linguae idioma satis explicatum, a multis autem iisque doctissimis hominibus secus esse acceptum cognouerim. videor igitur mihi hoc obseruasse multisque locis excussis explorate percepisse Graecos quae fuit in iis et cogitandi et loquendi celeritas quum esset enunciatio quaedam per participium elata adiungereturque per particulam ὥστε quid ex eo esset consecutum, id neque verbo finito neque qui poterat exspectari infinitiuo expressisse, sed eo ductos studio quo omnem orationis concinnitatem consectati sunt eam quoque enunciationem quae esset per particulam ὥστε adiicienda eodem quo erant vsi participio conformasse, ita vt primo aspectu vix intelligatur vnde secundum hoc participium pendeat, loco vero accuratius considerato appareat istud ipsum verbum finitum vnde prius pendeat participium ad alterum quoque pertinere. id hoc loco sic factum est vt quum primarium esset verbum vnde omnia penderent ὁρῶ, non solum prius participium διακείμενον, sed alterum quoque quod per ὥστε particulam infertur inde suspenderetur. qua re quum dixit orator: οὐδὲ γὰρ ἐν ταῖς ἰδίαις οἰκίαις ὁρῶ τὸν ἐν ἡλικίᾳ πρὸς τοὺς πρεσβυτέρους οὕτω διακείμενον — ὥστε εἰ μὴ ποιήσουσιν ἅπαντες ὅσ' ἂν αὐτός, οὐ φάσκοντα ποιήσειν οὐδὲν οὐδ' αὐτόν, sic istud participium

adiecit ac si diceret: *ὥστε ὁρᾶν οὐ φάσκοντα οὐδὲν οὐδ' αὐτόν.* consimilis locus est *erotici* §. 3. ed. Bekk. p. 1402. ed. Reisk. quem Bekkerus ac Schaeferus non magis intellexerunt. ibi enim a participio *ὁρῶν* quum plura penderent participia, id quoque quod per particulam *ὥστε* inferebatur enunciatum eodem participio est elatum his verbis: *ὁρῶν ἐνίους τῶν ἐρωμένων καὶ κάλλους μετεσχηκότων, οὐδετέρᾳ δὲ τῶν εὐτυχιῶν τούτων ὀρθῶς χρωμένους, ἀλλ' ἐπὶ μὲν τῇ τῆς ὄψεως εὐπρεπείᾳ σεμνυμένους, τὴν δὲ πρὸς τοὺς ἐραστὰς ὁμιλίαν δυσχεραίνοντας καὶ τοσοῦτον διημαρτηκότας τοῦ τὰ βέλτιστα κρίνειν ὥστε διὰ τοὺς λυμαινομένους τῷ πράγματι καὶ τοὺς μετὰ σωφροσύνης πλησιάζειν ἀξιοῦντας δυσκόλως διακειμένους, ἡγησάμην τοὺς μὲν τοιούτους οὐ μόνον αὑτοῖς ἀλυσιτελῶς ἔχειν, ἀλλὰ καὶ τοῖς ἄλλοις μοχθηρὰς συνηθείας ἐνεργάζεσθαι* etc., vbi quum Reiskius *ὁρᾶσθαι διακειμένους* scribi voluisset, id commendauit Bekkerus, Schaeferus autem: *infinitiuum excidisse apparet*, inquit, *sed qui exciderit quis dicat?* at vero hoc loco non magis putandus est excidisse infinitiuus quam supra eo quem explicaui loco *φάσκοντα* in *φάσκειν* mutandum. est enim *διακειμένους* pro eo quod poterat dici *διακεῖσθαι* hanc ob caussam scriptum quod quum participia plura antecessissent, concinniorem putauit orator fore orationem si eandem constructionem etiam *ὥστε* particula illata obtineret. accedat huc Isaei orat. 9. §. 16. ed. Bekk. p. 76. ed. H. Steph. *χωρὶς δὲ τούτων, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἔτι μείζω τεκμήρια παρέξομαι ὡς οὐδὲν ἀληθὲς λέγουσιν οὗτοι. ἐπιδείξω γὰρ ὑμῖν ἔχθιστον ἁπάντων ὄντα Ἀστύφιλον Κλέωνι καὶ οὕτω σφόδρα καὶ δικαίως μισοῦντα τοῦτον ὥστε πολὺ δὴ θᾶττον διαθέμενον μηδένα ποτὲ τῶν ἑαυτοῦ οἰκείων διαλεχθῆναι Κλέωνι, μᾶλλον ἢ τὸν τούτου υἱὸν ποιησόμενον.*, vbi etsi recte G. F. Schömannus participium non mutandum censuit, tamen est falsus in eo quod quum libri optimi *ποιησόμενον* haberent, ceteri autem et editiones veteres *πολεμησόμενον* maluit cum Bekkero coniecturam Reiskii sequi quam librorum optimorum scripturam. est autem participium futuri non magis sollicitandum quam si alia orationis

conformatione legatur: *ἐπιδείξω γὰρ — ὅτι πολὺ δὴ θᾶττον διέθετο μηδένα ποτὲ τῶν ἑαυτοῦ οἰκείων διαλεχθῆναι Κλέωνι, μᾶλλον ἢ τὸν τούτου υἱὸν ποιήσει.* his disputatis non credo esse dubium quem ad modum locus quidam Demosthenis accipiendus sit, de quo grammatici nostri et critici vehementer dubitauerunt. orat. *Olynth.* III. §. 1. ed. Bekk. p. 28 extr. ed. Reisk., vbi haec leguntur verba: *τοὺς μὲν γὰρ λόγους περὶ τοῦ τιμωρήσασθαι Φίλιππον ὁρῶ γιγνομένους, τὰ δὲ πράγματα εἰς τοῦτο προήκοντα ὥστε ὅπως μὴ πεισόμεθα αὐτοὶ πρότερον σκέψασθαι δέον.* hic enim non potest esse obscurum participium *δέον* hanc ob caussam esse illatum, quod praecesserant *τοὺς μὲν λόγους — γιγνομένους, τὰ δὲ πράγματα — προήκοντα*, pendere autem *δέον* non minus quam ista participia a verbo *ὁρῶ*. sed ne quis ex his exemplis quae vsque adhuc attulimus concludat esse hanc participiorum attractionem tum demum admissam quum ista participia a verbo sentiendi dependerent, hoc quotiescunque id orationis membrum vnde alterum pendet quod per particulam *ὥστε* infertur esset participio expressum fieri potuisse dico. Demosthen. orat. c. *Stephan.* I. §. 83. ed. Bekk. p. 1126 extr. ed. Reisk. *τάχα τοίνυν ἂν ἴσως καὶ τοῦτό τις αὐτῶν εἴποι, ὡς ἀδελφὸς ὢν ἐμὸς Πασικλῆς οὐδὲν ἐγκαλεῖ τῶν αὐτῶν τούτῳ πραγμάτων. ἐγὼ δ' ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι καὶ περὶ Πασικλέους, παραιτησάμενος καὶ δεηθεὶς ὑμῶν συγγνώμην ἔχειν, εἰ προεληλυθὼς εἰς τοῦτο ὥστε ὑπὸ τῶν ἐμαυτοῦ δούλων ὑβρισθεὶς οὐ δύναμαι κατασχεῖν, ἃ τέως οὐδὲ τῶν ἄλλων λεγόντων ἀκούειν ἐδόκουν, ἐρῶ καὶ οὐ σιωπήσομαι.*, vbi quum Reiskius multas adhibuisset machinas quibus huius loci rationem explicaret, Schaefero visum est esse scribendum *ὥστε ὑπὸ τῶν ἐμαυτοῦ δούλων ὑβρίσθαι* pro ea quae est omnibus libris confirmata scriptura: *ὥστε ὑπὸ τῶν ἐμαυτοῦ δούλων ὑβρισθείς.* at miror quod vir doctissimus a quo quantum nos omnes didicerimus qui nunc Graecas litteras tractamus dici vix potest non intellexit esse participium *ὑβρισθείς* propter antecedens participium *προεληλυθώς* illatum, vtrumque autem a verbis *οὐ δύναμαι κατασχεῖν* esse suspensum. Iso-

cratis *panegyr.* §. 64. ed. Bekk. p. 53 extr. ed. H. Steph. *φαίνονται δ' ἡμῶν οἱ πρόγονοι τοσοῦτον ἁπάντων διενεγκόντες ὥσθ' ὑπὲρ μὲν Ἀργείων δυστυχησάντων Θηβαίοις ὅτε μέγιστον ἐφρόνησαν ἐπιτάττοντες, ὑπὲρ δὲ τῶν παίδων τῶν Ἡρακλέους Ἀργείους καὶ τοὺς ἄλλους Πελοποννησίους μάχῃ κρατήσαντες, ἐκ δὲ τῶν πρὸς Εὐρυσθέα κινδύνων τοὺς οἰκιστὰς τοὺς Σπάρτης καὶ τοὺς ἡγεμόνας τοὺς Λακεδαιμονίων διασώσαντες.*, vbi nullus dum ausus est quae sunt post particulam *ὥστε* illata participia mutare. cf. eiusdem orationis §. 21. ed. Bekk. p. 44 extr. ed. H. Steph., vbi simili, sed paullo faciliore ad intelligendum attractionis genere dicitur: *οὐδεὶς γὰρ ἂν ἑτέραν πόλιν ἐπιδείξειε τοσοῦτον ἐν τῷ πολέμῳ τῷ κατὰ γῆν ὑπερέχουσαν ὅσον τὴν ἡμετέραν ἐν τοῖς κινδύνοις τοῖς κατὰ θάλατταν διαφέρουσαν.* eademque est infinitiui attractio quae iam in vulgus est nota, vt Antiph. tetral. 1. *δ.* §. 5. ed. Bekk. p. 119 extr. ed. H. Steph. *ἐγὼ δὲ οὐδένα οὕτω θερμὸν καὶ ἀνδρεῖον ἄνθρωπον εἶναι δοκῶ ὅντινα οὐκ ἂν ἀωρὶ τῆς νυκτὸς νεκροῖς ἀσπαίρουσι συντυχόντα πάλιν ὑποστρέψαντα φεύγειν μᾶλλον ἢ πυνθανόμενον τοὺς κακούργους περὶ τῆς ψυχῆς κινδυνεῦσαι.* sed reuertor ad participii constructionem quae iam ab antiquis criticis immerito videtur esse correcta. quum enim Platon. lib. *de re publ.* VII. p. 519. A. ed. H. Steph. *ἢ οὔπω ἐννενόηκας τῶν λεγομένων πονηρῶν μὲν σοφῶν δὲ ὡς δριμὺ μὲν βλέπει τὸ ψυχάριον καὶ ὀξέως διορᾷ ταῦτα ἐφ' ἃ τέτραπται, ὡς οὐ φαύλην ἔχον τὴν ὄψιν, κακίᾳ δ' ἠναγκασμένον ὑπηρετεῖν ὥστε ὅσῳ ἂν ὀξύτερον βλέπῃ τοσούτῳ πλείω κακὰ ἐργαζόμενον;*, hoc igitur loco quum omnes ceteri libri consentiant in participio *ἐργαζόμενον* quod est ea qua dixi ratione post particulam *ὥστε* positum defendendo, duo libri qui sunt manifesto a grammatico correcti vel dicam deprauati *ἐργάσεται* habent. est autem *ἐργαζόμενον* a Platone scriptum quia praecesserant participia haec: *ὡς οὐ φαύλην ἔχον τὴν ὄψιν, κακίᾳ δ' ἠναγκασμένον ὑπηρετεῖν*, ita vt *ἐργαζόμενον* non minus a verbo primario *βλέπει* suspensum sit quam *ἔχον* et *ἠναγκασμένον* per *ὡς* particulam. sic videmus his locis omnibus participium immerito in suspicionem

adductum atque ad ea quae ego afferenda putaui exempla plura poterunt addi quae sint eodem modo explicanda. sed quum ratio reddita mihi esse videatur, qua in locis his explanandis versari oporteat, plura pertractare nihil attinet.

Adiungam his locum quendam Isaei, vbi quaedam in simili participii attractione difficultas occasionem ad corrigendum dedit. est autem ille locus orat. 8. quae est *de hereditate Cironis* §. 13. ed. Bekk. p. 70. ed. H. Stephan. *οὗτος δ' ὁ πάντων ἀναισχυντότατος ἀνθρώπων λόγοις πεπλασμένοις καὶ μάρτυσιν οὐ τἀληθῆ μαρτυροῦσιν ἀξιώσει πιστεύειν ὑμᾶς, φεύγων οὕτως ἀκριβεῖς ἐλέγχους; ἀλλ' οὐχ ἡμεῖς, ἀλλὰ πρότερον ὑπὲρ τῶν μαρτυρηθήσεσθαι μελλόντων ἀξιώσαντες εἰς βασάνους ἐλθεῖν, τούτους δὲ φεύγοντας, οὕτως οἰησόμεθα δεῖν ὑμᾶς τοῖς ἡμετέροις μάρτυσι πιστεύειν.*, vbi quum olim Stephanus pariter ac Reiskius in explicandis verbis *τούτους δὲ φεύγοντας* haesitassent, miror quod ne nostra quidem aetate Schömannus hunc locum existimauit esse integrum, cui verbum hic excidisse certum videtur esse, quod exciderit incertum. at est per breuiloquentiam quandam istud enunciationis membrum *τούτους δὲ φεύγοντας* quod etsi potuit omitti quoniam nihil nisi quod iam supra erat declaratum eo repetitur, maximam tamen habet vim ad oppositionem efferendam, ita priori membro subiunctum vt quum id per se stare posset dicique *οὗτοι δὲ φεύγοντες* totum ab isto penderet. itaque plena erit oratio haec: *οὗτος δ' ὁ πάντων ἀναισχυντότατος ἀνθρώπων λόγοις πεπλασμένοις καὶ μάρτυσιν οὐ τἀληθῆ μαρτυροῦσιν ἀξιώσει πιστεύειν ὑμᾶς, φεύγων οὕτως ἀκριβεῖς ἐλέγχους; ἀλλ' οὐχ ἡμεῖς ἀξιοῦμεν, ἀλλὰ πρότερον ὑπὲρ τῶν μαρτυρηθήσεσθαι μελλόντων ἀξιώσαντες εἰς βασάνους ἐλθεῖν ἀξιοῦμεν πιστεύειν ὑμᾶς τοῖς ἡμετέροις μάρτυσι, τούτους δὲ φεύγοντας ἀξιώσαντες ἀξιοῦν ὑμᾶς πιστεύειν τοῖς αὐτῶν μάρτυσιν, οὕτως οἰησόμεθα δεῖν ὑμᾶς τοῖς ἡμετέροις μάρτυσι πιστεύειν.* sic quamuis vix omnia ea quae poterant ad singula huius enunciationis membra suppleri adiecerim, spero tamen apparere qua ratione accusatiuus iste

τούτους δὲ φεύγοντας per celeritatem cogitandi ac loquendi sit ab *ἀξιώσαντες* suspensus. itaque a participiis accedo ad quosdam locos vbi infinitiuus a criticis non satis intellectus ideoque immerito correctus esse videatur.

Lysiae orat. 14. quae est *contra Alcibiadem* I. §. 32. ed. Bekk. p. 142. ed. H. Steph. *καὶ μὲν δή, ὦ ἄνδρες δικασταί, ἄλλων τε πολλῶν ἄξιον ἕνεκεν αὐτοῦ καταψηφίσασθαι καὶ ὅτι ταῖς ὑμετέραις ἀρεταῖς χρῆται παραδείγματι περὶ τῆς ἑαυτοῦ πονηρίας. τολμᾷ γὰρ λέγειν ὡς Ἀλκιβιάδης οὐδὲν δεινὸν εἴργασται ἐπὶ τὴν πατρίδα στρατεύσασθαι.*

Sic in libris ad vnum omnibus vltima haec verba sunt scripta, editores vero qui quorsum esset infinitiuus accipiendus non intellexissent omnia alia cogitauerunt, quam vt in librorum scripturam diligentius inquirerent. ac Marklandus quidem pro *στρατεύσασθαι* coniecit esse scribendum *στρατεύσας*, quod quum non adeo multum a librorum scriptura discederet, est a Bekkero et Bremio et C. Foertschio receptum. Reiskius autem scribendum duxit *στρατευσάμενος* quod se ait in schedis quoque Groulartianis reperisse, quae schedae coniecturas potius viri docti, quam lectiones codicis continere putandae sunt. equidem vti supra significaui in infinitiuo quem omnes libri tuentur acquiescendum existimo. Graeci enim quum in aliis multis locis breuius atque contractius locuti esse videantur, quam nos fere solemus, tum in hac potissimum formula duo videntur orationis membra in vnam sententiam coarctasse quam nos debemus pluribus verbis exprimere. itaque quod scripsit Lysias *ὡς Ἀλκιβιάδης οὐδὲν δεινὸν εἴργασται ἐπὶ τὴν πατρίδα στρατεύσασθαι* nihil est aliud quam hoc: *ὡς Ἀλκιβιάδης οὐδὲν δεινὸν εἴργασται ὅτι ἐπὶ τὴν πατρίδα ἐστρατεύσατο.* est igitur iste infinitiuus *ἐπὶ τὴν πατρίδα στρατεύσασθαι* ad ista verba *ὡς οὐδὲν δεινὸν εἴργασται* ita adiunctus vt sit *ἐπεξηγήσεως* loco. cf. Platonis *Criton.* p. 45. C. ed. H. Steph. *ἔτι δέ, ὦ Σώκρατες, οὐδὲ δίκαιόν μοι δοκεῖς ἐπιχειρεῖν πρᾶγμα σαυτὸν προδοῦναι ἐξὸν σωθῆναι.* *Menon.* p. 76. ed. H. Steph. *ὑβριστής γ' εἶ, ὦ Μένων, ἀνδρὶ πρεσβύτῃ πράγματα προστάττεις ἀποκρίνεσθαι, αὐτὸς δὲ οὐκ ἐθέλεις*

ἀναμνησθεὶς εἰπεῖν ὅ τί ποτε λέγει Γοργίας ἀρετὴν εἶναι. ibidem p. 80. A. ed. H. Steph. *καὶ σὺ δοκεῖς μοὶ νῦν ἐμὲ τοιοῦτόν τι πεποιηκέναι ναρκᾶν.*, vbi Phil. Buttmannus admodum dubitanter his de infinitiuis qui sunt explicationis caussa adiuncti loquitur. quantas autem iste infinitiuus male intellectus interdum turbas fecerit vno exemplo ostendam Demosthenis orat. *contra Timocrat.* §. 65. ed. Bekk. p. 721. v. 20. ed. Reisk. *ὥσπερ τοίνυν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τῶν περὶ τἄλλα κακούργων τοὺς ὁμολογοῦντας ἄνευ κρίσεως κολάζειν οἱ νόμοι κελεύουσιν, οὕτω δίκαιον καὶ τοῦτον, ἐπειδὴ τοὺς νόμους κακουργῶν εἴληπται, μὴ δόντας λόγον μηδ' ἐθελήσαντας ἀκοῦσαι καταψηφίσασθαι.*, vbi quum libri prope omnes *οὕτω δίκαιον καὶ τοῦτον* tuerentur a quibusdam criticis est correctum *τούτου* quoniam id necessario ad *καταψηφίσασθαι* pertinere arbitrabantur. itaque Reiskius et Bekkerus ediderunt neque Schaeferus quicquam melius attulit. at neque *τοῦτον* est mutandum neque *καταψηφίσασθαι* cum accusatiuo casu est constructum neque vlla hoc in loco *ἀνακολουθία*, modo memineris ad haec verba *οὕτω δίκαιον καὶ τοῦτον* supplendum esse ex iis quae antecedunt *ἄνευ κρίσεως κολάζειν*, id quod Reiskius ipse quoque bene perspexit, ille tamen in eo falsus quod post *εἴληπται* particulam *καί* voluit adiici, si *τοῦτον* seruaretur. ista enim explicatio quae per infinitiuum additur: *μὴ δόντας λόγον μηδ' ἐθελήσαντας ἀκοῦσαι καταψηφίσασθαι*, nullo modo eget isto fulcro, immo in hac *ἐπεξηγήσει* legitima est omnis particulae omissio. haec est igitur huius loci sententia: *ὥσπερ τοίνυν — τῶν περὶ τἄλλα κακούργων τοὺς ὁμολογοῦντας ἄνευ κρίσεως κολάζειν οἱ νόμοι κελεύουσιν, οὕτω δίκαιον καὶ τοῦτον ἄνευ κρίσεως κολάζειν, ἐπειδὴ τοὺς νόμους κακουργῶν εἴληπται*, nunc sequitur *ἐπεξήγησις*: *μὴ δόντας λόγον μηδ' ἐθελήσαντας ἀκοῦσαι καταψηφίσασθαι*, quae continet explicationem eius quod erat antea simpliciter dictum *ἄνευ κρίσεως κολάζειν.* sic credo apparet neque omnium librorum scripturam esse mutandam neque quod non est Graecum *καταψηφίσασθαι* cum accusatiuo iungendum. eandem *ἐπεξηγήσεως* rationem in Lati-

nam consuetudinem fuisse receptam docuisse mihi videor lib. *quaestionum Tullianarum* I. p. 126., vbi hunc Ciceronis locum explicaui, qui est orationis *pro Archia poeta* c. 5. §. 11. *iis temporibus quae tu criminaris, ne ipsius quidem iudicio eum in ciuium Romanorum iure esse versatum.*, cui simillimus est locus qui legitur lib. *Tusculan.* III. c. 15. §. 31. *hic est enim ille vultus semper idem, quem dicitur Xanthippe praedicare solita in viro suo fuisse Socrate, eodem semper se vidisse exeuntem illum domo et reuertentem.* isti autem Platonis loco quem supra laudaui Menon. p. 76. ed. H. Steph. *ἀνδρὶ πρεσβύτῃ πράγματα προστάττεις ἀποκρίνεσθαι*, consimilis est alius Ciceronis locus qui est lib. *de nat. deor.* III. c. 24. §. 63. *magnam molestiam suscepit et minime necessariam primus Zeno, post Cleanthes, deinde Chrysippus, commenticiarum fabularum reddere rationem, vocabulorum cur quidque ita appellatum sit caussas explicare.* sed hic infinitiui vsus perfacilis est ad intelligendum speroque me de horum quos tractaui locorum integritate persuasisse omnibus.

Quam ob caussam accedo ad alium infinitiui vsum, vbi is ab eo verbo est suspensus quod quum positione tum ipsa significatione videtur esse remotius. haec res quum multum diuexauerit criticos sane digna est de qua quaedam exempla explicemus. ac primum quidem miror quod ne a nouissimis quidem criticis hic Lysiae locus recte est explicatus, qui est orat. *contra Theomnestum* I. §. 13. ed. Bekk. p. 117. ed. H. Steph. *οὐκοῦν δεινὸν εἰ ὅταν μὲν δεήσῃ κακῶς ἀκούσαντα τοὺς ἐχθροὺς τιμωρεῖσθαι, οὕτω τοὺς νόμους ὥσπερ ἐγὼ νῦν λαμβάνειν, ὅταν δ' ἕτερον παρὰ τοὺς νόμους εἴπῃς κακῶς, οὐκ ἀξιοῖς δοῦναι δίκην.*, vbi quum libri omnes infinitiuum tuerentur, is tamen inde a Tayloro est mutatus in verbum finitum *λαμβάνεις*, quoniam qui explicandus esset critici non viderunt. at *λαμβάνειν* non minus quam iste infinitiuus qui sequitur *δοῦναι δίκην* suspensus est a verbo *οὐκ ἀξιοῖς*, ita tamen vt ad *λαμβάνειν* nihil nisi *ἀξιοῖς* sit assumendum. sic et Latini saepe et Germani locuti sunt. cf. Taciti lib. *Annal.* XII. c. 64. *quae (Agrip-*

pina) filio dare imperium, tolerare imperitantem nequibat., vbi ex verbo *nequibat* ad prius orationis membrum cogitatione assumendum est *poterat*, quem locum Graece sic queas exprimere: ἢ ἐπιτρέψαι μὲν τῷ υἱῷ τὴν ἀρχήν, ἀνέχεσθαι δ' ἄρχοντα ἀδύνατος ἦν. accedat huc Isaei quidam locus qui est iam ab antiquo critico falso mutatus orationis 2. quae est *de hereditate Meneclis* §. 46. ed. Bekk. οὗτος δὲ νυνὶ ἄκληρον μὲν ἐμὲ ποιεῖν τοῦ κλήρου τοῦ πατρῴου, εἴτε μείζων ἐστὶν οὗτος εἴτε ἐλάττων, ἄπαιδα δὲ τὸν τελευτήσαντα καὶ ἀνώνυμον βούλεται καταστῆσαι ἵνα μήτε τὰ ἱερὰ τὰ πατρῷα ὑπὲρ ἐκείνου μηδεὶς τιμᾷ μήτ' ἐναγίζῃ αὐτῷ καθ' ἕκαστον ἐνιαυτόν, ἀλλὰ ἀφαιρεῖται τὰς τιμὰς τὰς ἐκείνου., quo in loco miror quod Bekkerus quem Schömannus quoque nuper est secutus ex libro Ambrosiano altero quem ipse recentiorem et vero deteriorem ceteris esse dixit verbum finitum ποιεῖ recepit, quod aperte est ex emendatione grammatici profectum, quum iste infinitiuus ποιεῖν recte a verbo βούλεται suspendatur, quod quum grammaticus non intellexisset locum putauit egere emendatione. sic eiusdem orationis §. 12. ed. Bekk. idem liber est a grammatico manifesto deprauatus his in verbis, vbi is infinitiuum quem non intellexit audacter correxit: «ἐμοὶ μὲν οὖν» ἔφη «συμβαίνειν ἀποδημίαν ὡς σὺ οἶσθα· ὁ δὲ ἀδελφὸς οὑτοσί» ἐμὲ λέγων «τῶν τε σῶν ἐπιμελήσεται καὶ τῶν ἐμῶν, ἐὰν βούλῃ τοῦτον ποιήσασθαι.», vbi quum reliqui libri quam ego posui scripturam confirmarent omnes, Bekkerus tamen et Schömannus ex isto libro ediderunt: «ἐμοὶ μὲν οὖν» ἔφη «συμβαίνει ἀποδημία, ὡς σὺ οἶσθα.» neque magis Io. Casp. Orellius hunc locum percepit, cui scribendum est visum: «ἐμοὶ μὲν οὖν» ἔφη «συμβαίνει ἀποδημεῖν ἀεὶ, ὡς σὺ οἶσθα.» quod quum ita sit miror quod nemo intellexit esse hoc loco eam orationis attractionem admissam ab oratore, quae est in Graeco sermone vsitatissima, vbi a verbo quod per ὡς particulam vel aliam similem tanquam subiecta notio adiicitur ea quae est primaria enunciationis pars suspenditur. cf. Aeschyli *Persar.* v. 563. τυτθά γ' ἐκφυγεῖν ἄνακτ' αὐτὸν ὡς ἀκούομεν et G. Hermannum ad Viger. p.

745 et 894. et quos laudat A. Matthiae gr. Gr. §. 539. 2. hinc intelligitur quo iure quaue iniuria G. Bernhardy synt. Gr. ling. p. 464. hanc dicendi attractionem Atticis oratoribus abiudicauerit, quae omnium Graecorum debebat esse communis. esse autem alios quoque locos oratorum Atticorum vbi similis sit admissa attractio quaerenti facile intelligetur. sed reuertor ad illud infinitiui genus de quo supra dixi. Pseudodemosthenis *erotic.* §. 18. ed. Bekk. p. 1406. ed. Reisk. *ὃ σημεῖον τῶν ἐνδόξως καὶ φιλανθρώπως ζῆν προαιρουμένων ἐστίν. καίτοι τινὲς εὐδοκίμησαν ἤδη τῶν τε συμβουλευσάντων ὡς οὐ χρὴ τὰς τῶν τυχόντων ὁμιλίας προσδέχεσθαι καὶ τῶν πεισθέντων τούτοις. ἢ γὰρ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντα τοῖς φαύλοις ἀναγκαῖον εἶναι διαβάλλεσθαι παρὰ τοῖς πολλοῖς ἢ διευλαβούμενον τὰς τοιαύτας ἐπιπλήξεις ὑπ' αὐτῶν τῶν ἐντυγχανόντων δυσχεραίνεσθαι συμπίπτει.*, vbi Reiskius pro *ἀναγκαῖον εἶναι* scribi voluit *ἀναγκαῖόν ἐστι*, Bekkerus autem ita studuit huius loci concinnitatem restituere, vt pro *συμπίπτει* quod omnes libri exhibent coniiceret esse scribendum *συμπίπτειν*, id quod alii quoque putarant esse scribendum et probauit Schaeferus. sed recte videtur et *συμπίπτει* posse retineri et ille infinitiuus *ἀναγκαῖον εἶναι* non esse corrigendus, qui est a verbo *συμπίπτει* non minus suspensus quam alter *δυσχεραίνεσθαι.* nam etsi non facile hoc loco dixeris: *ἢ γὰρ πρὸς χάριν ὁμιλοῦντα τοῖς φαύλοις ἀναγκαῖον εἶναι συμπίπτει διαβάλλεσθαι παρὰ τοῖς πολλοῖς ἢ διευλαβούμενον* etc., potuit tamen infinitiuus ab eo quod sequitur membro ita dependi, vt *ἀναγκαῖον εἶναι* etiam esset ad *συμπίπτει* referendum, nam quum alia etiam adiiceretur sententia id verbum adiectum est quod potissimum cum eo quod erat proximum conueniret. consimilis huic est Antiphontis locus orationis 5. §. 13. ed. Bekk. p. 130 extr. ed. H. Steph. *καίτοι ἐμοὶ εἰ μηδὲν διέφερε στέρεσθαι τῆσδε τῆς πόλεως, ἴσον ἦν μοὶ καὶ προσκληθέντι μὴ ἐλθεῖν ἀλλ' ἐρήμην ὀφλεῖν τὴν δίκην, τοῦτο δ' ἀπολογησαμένῳ τὴν προτέραν ἐξεῖναι ἐξελθεῖν· ἅπασι γὰρ τοῦτο κοινόν ἐστι.*, vbi propter id quod praecessit *ἴσον ἦν μοί* per eam quam dixi attractionem scriptum est

ἐξεῖναι ac si plena foret sententia ἴσον ἦν μοὶ ἐξεῖναι ἐξελθεῖν. neque opus est Reiskii coniectura qui putauit esse scribendum ἐξῆν, quae probata est a multis, recepta a Bekkero. sed venio ad alium infinitiui vsum de quo non minus est dubitatum. Aeschinis orat. *contra Ctesiphont.* §. 104. ed. Bekk. p. 68. ed. H. Steph. ὁ δὲ ἀπεκρίνατο τῷ Γνωσιδήμῳ ὅτι ἐλαχίστου χαλκοῦ οὐδὲν δέοιτο, τὸ δὲ τάλαντον διὰ τοῦ Καλλίου εἰσπράττειν., vbi quum iam antiquo tempore infinitiuus εἰσπράττειν parum esset intellectus a librariis scriptum est εἰσέπραττεν quod nuper etiam Bremius putauit esse asciscendum, nisi forte ita esset infinitiuus εἰσπράττειν explicandus vt orator diceretur ab ea structura quam per particulam ὅτι inchoasset recessisse et post verbum ἀπεκρίνατο infinitiuum posuisse. at id hoc loco multis de caussis fieri non potest, quod quum ipse homo doctissimus videatur intellexisse non attinet pluribus refellere. illud dico nihil esse aptius neque ad hunc locum accommodatius quam infinitiuum εἰσπράττειν, qui aperte est a verbo δέοιτο suspensus, ita vt similis quaedam notio inde sit elicienda, vt βούλοιτο. simillimus est Lysiae quidam locus orationis 1. §. 21. ed. Bekk. p. 93. ed. H. Steph. ἀξιῶ δέ σε ἐπ' αὐτοφώρῳ ταῦτά μοι ἐπιδεῖξαι· ἐγὼ γὰρ οὐδὲν δέομαι λόγων, ἀλλὰ τὸ ἔργον φανερὸν γενέσθαι, εἴπερ οὕτως ἔχει., quem locum quum Bremius ipse recte explicauisset *excursu ad Lysiam* III. p. 438., eo debebat videri mirabilius quod tantopere de Aeschinis loco dubitauit. huc denique vocandus est locus quidam Aristophanis qui mihi a nouissimis editoribus secus videtur esse constitutus. est ille *Ecclesiazus.* v. 969 — 72. ed. G. Dind. (v. 938 — 941. ed. mai.).

εἴθ' ἐξῆν παρὰ τῇ νέᾳ καθεύδειν
καὶ μηδὲν πρότερον διασποδῆσαι
ἀνάσιμον ἢ πρεσβύτερον·
οὐ γὰρ ἀνασχετὸν τοῦτό γ' ἐλευθέρῳ.

quibus in verbis G. Dindorfius duas recepit coniecturas quibus ego credo facillime nos posse carere, vnam Elmsleii, Bothii alteram. ac primum quidem pro μηδὲν edidit ex Elmsleii coniectura μὴ 'δει, deinde de Bothii sententia

scripsit *πρεσβυτέραν* pro *πρεσβύτερον*, quod si *μὴ 'δει* recipimus est pene necessarium. at ego librorum omnium scripturam quam Suidas quoque sub voc. *ἀνάσιμον* agnoscit non censeo esse mutandam, modo meminerimus quum haec esset indignantis oratio atque irati, sapienter poetam instituisse quod quum posset ad secundam huius enunciationis partem nouum verbum quo quid deberet fieri diceretur adiungere, maluit ita hanc sententiam conformare vt vnum idemque verbum dominaretur per omnem sententiam. potest autem facillime verbum *ἐξῆν* ad ea quoque quae sequuntur trahi, nam quid aliud est: *si liceret hoc non facere*, quam: *si hoc non faciendum esset.* hoc modo saepe numero Graeci sunt locuti, vt multis locis potest euinci, quorum ego vnum afferam Lysiae qui est simillimus istius. est ille orationis 19., quae est *contra Philocr.* §. 6. ed. Bekk. p. 182. H. Steph. *τίς δ' οὐκ οἶδεν Ἀθηναίων τρία τάλαντα παρ' Ἐργοκλέους μεσεγγυηθέντα τοῖς λέγουσιν, εἰ δύναιντο αὐτὸν σῶσαι καὶ μὴ κατηγορεῖν;*, vbi eodem modo a verbo *δύναιντο* alia quoque enunciationis pars est suspensa quae possit videri suum verbum postulare. hos autem locos rectissime est Bremius interpretatus ad Lysiae *orationn. selectt.* p. 437 sq. hinc credo apparet isto Aristophanis loco verbum *ἔδει* non esse necessarium, quin etiam quoniam nihil eo dicitur nisi quod iam est verbo *ἐξῆν* significatum elegantius abesse. sequitur vt dicam de altera coniectura quam recepit Dindorfius a Bothio excogitatam vt pro *πρεσβύτερον* scriberet *πρεσβυτέραν.* nam contemptius credo dicitur *μηδὲν ἀνάσιμον ἢ πρεσβύτερον* quam si ipsam vetulam dixisset iis verbis quae scribi voluerunt Elmsleius ac Bothius. denique nemo opinor requiret propter versum eum qui hunc in strophica ratione excipit *πρεσβυτέραν* pro *πρεσβύτερον.*

Sed venio ad alios quosdam locos vbi aliis de caussis non satis intellectus infinitiuus ansam ad corrigendum dedit immerito. velut Demosthenis orationis quae est *in Androtionem* §. 61. ed. Bekk. p. 611 extr. ed. Reisk., vbi haec habemus verba in libris omnibus: *πότερ' οὖν οἴεσθε τούτων ἕκαστον μισεῖν καὶ πολεμεῖν αὐτῷ διὰ τὴν εἰσφορὰν ταύτην,*

ἢ τὸν μὲν αὐτῶν ὅτι πάντων ἀκουόντων ὑμῶν ἐν τῷ δήμῳ δοῦλον ἔφη καὶ ἐκ δούλων εἶναι καὶ προσήκειν αὐτῷ τὸ ἕκτον μέρος εἰσφέρειν μετὰ τῶν μετοίκων, τῷ δ' ὅτι παῖδας ἐκ πόρνης εἶναι, τοῦ δὲ τὸν πατέρα ἡταιρηκέναι, τοῦ δὲ τὴν μητέρα πεπορνεῦσθαι, τὸν δὲ ἀπογράφειν ὅσα ὑφείλετο ἐξ ἀρχῆς, τὸν δὲ τὸ δεῖνα, τὸν δὲ ὁμοῦ ῥητὰ καὶ ἄρρητα κακά, ἑξῆς ἅπαντας;, quem locum quum Reiskius *apparat. ad Demosth.* vol. III. p. 541. ed. Schaef. egregie intellexisset, miror quod eam hoc loco coniecturam proposuit quae etsi possit hoc loco ferri, non tamen librorum scripturae praeferenda mihi esse videatur. itaque non recte fecerunt Bekkerus atque Dindorfius quod Reiskii rationem sunt secuti, longe autem minus possum probare eam rationem quam C. Foertschius *Obseruatt. critt. in Lysiae oratt.* p. 80. ingressus est defendendae particulae ὅτι. is enim vt saepe alias factum est, ita hoc quoque loco putauit esse illata post verbum dicendi particula ὅτι per quandam inchoatae constructionis ἀνακολουθίαν ad infinitiuum discessum. quod hoc loco fieri nullo modo potest quum illud ὅτι non pendeat a verbo dicendi, sed rationem reddat cur quis in odio habeatur. ergo vna restat eaque verissima meo quidem iudicio huius loci explicandi ratio haec, vt dicamus non ante particulam ὅτι, sed post eam repetendum esse verbum ἔφη, ita vt plena sit oratio haec: τῷ δ' ὅτι παῖδας ἔφη ἐκ πόρνης εἶναι. est autem τῷ δ' ὅτι quoniam τῷ δὲ erat propter oppositionem in initio membri ponendum dictum pro τὸν δὲ μισεῖν ὅτι αὐτῷ παῖδας ἔφη ἐκ πόρνης εἶναι, in iis autem quae sequuntur non solum ἔφη omisit, verum etiam particulam ὅτι, vtrumque attento lectori cogitandum relinquens. est igitur hoc loco hanc ob caussam librorum scriptura τῷ δ' ὅτι coniecturae Reiskii qui ὅτι omisit praeferenda, quod quum longior esset quae antecessit membri pars reuocandum erat quodam modo in mentem legenti quae supra inchoata esset loci structura, id quod in sequentibus eo minus opus erat quod et breuiora haec sunt membra et sine intercapedine sese excipiunt.

Lysiae *orat. funebris* §. 36. ed. Bekk. p. 194. ed. H.

Steph. *οἷς τοσοῦτον πανταχόθεν περιειστήκει πλῆθος πολεμίων ὥστε ἐλάχιστον μὲν αὐτοῖς εἶναι τῶν παρόντων κακῶν τὸν θάνατον τὸν αὐτῶν τῷ αὐτὸν προειδέναι* (siue malis cum libris optimis *τὸ θάνατον τὸν αὐτῶν προειδέναι*), *μεγίστην δὲ συμφορὰν ὑπὸ τῶν βαρβάρων εὐτυχησάντων τοὺς ὑπεκτεθέντας ἤλπιζον πείσεσθαι.* hoc loco quum critici in eo offendissent quod post *ὥστε* particulam primum modus infinitiuus esset positus, deinde eum exciperet verbum finitum, ex Taylori coniectura rescribendum duxerunt: *μεγίστην δὲ συμφορὰν ἃ ὑπὸ τῶν βαρβάρων εὐτυχησάντων τοὺς ὑπεκτεθέντας ἤλπιζον πείσεσθαι.* at neque Atticorum oratorum consuetudo tantam concinnitatem orationis desiderat neque illa sententia quam omisso *ἅ* pronomine habemus non est aptissima ad hunc locum. sententia igitur haec est: *quibus tanta vndique erat multitudo hostium circumfusa, vt leuissimum sibi putarent esse malum eorum quae imminerent mortem suam: maximam vero eorum calamitatem fore exspectabant qui essent expositi in insula Salamine.* quod autem primum dicitur: *ὥστε ἐλάχιστον μὲν αὐτοῖς εἶναι τῶν παρόντων κακῶν τὸν θάνατον — προειδέναι*, deinde vero mutata coepta constructione: *μεγίστην δὲ συμφορὰν ὑπὸ τῶν βαρβάρων εὐτυχησάντων τοὺς ὑπεκτεθέντας ἤλπιζον πείσεσθαι*, id neminem credo offendet qui Graecorum his in rebus facilitatem cognorit. ita quum alii oratores locuti sunt saepe tum Isocratem diligentissimum orationis concinnandae auctorem eodem prorsus modo conformasse periodum testatur liber Vrbinas *panegyr.* §. 112. ed. Bekk. p. 64. ed. H. Steph. *εἰς τοῦτο δ' ὠμότητος ἅπαντας ἡμᾶς κατέστησαν ὥστε πρὸ τοῦ μὲν διὰ τὴν παροῦσαν εὐδαιμονίαν καὶ ταῖς μικραῖς ἀτυχίαις πολλοὺς ἕκαστον ἡμῶν ἔχειν τοὺς συμπαθήσοντας, ἐπὶ δὲ τῆς τούτων ἀρχῆς διὰ τὸ πλῆθος τῶν οἰκείων κακῶν ἐπαύσαμεθ' ἀλλήλους ἐλεοῦντες.*, vbi quod ceteri libri pro *ἕκαστον ἡμῶν ἔχειν* habent *ἕκαστος ἡμῶν ἔχει* manifesto est grammatici correctio. vtroque enim loco et Lysiae et Isocratis iusta erat caussa cur recederetur a consueta et vsitata dicendi ratione, quum in illis quae secundo loco adiicerentur verbis maximum pondus esset positum. afferremque plura hu-

ius vsus exempla, nisi res et per se ipsa satis esset cognita et his locis perfacilis ad intelligendum.

Sed placet iam aliam explicare caussam quam ob rem multi sint loci pro corruptis habiti qui mihi integerrimi esse videantur: pronomen dico *αὐτός*, quod quum saepe subtilem quandam oppositionis significationem contineret neque ea esset a criticis intellecta satis, multis in locis eas creauit turbas quas vix putamus posse a pronomine male intellecto proficisci estque id eo magis mirandum si nostro etiam tempore factum est quod G. Hermannus egregie de hoc pronomine disseruerat. cf. *dissertat. de pronomine αὐτός. opuscul.* vol. I. p. 308—342. quum autem illud pronomen non solum nostra aetate, verum etiam ab antiquis grammaticis secus acceptum esse videatur, eos primum locos explicabo vbi ab his hoc pronomen iniuria mutatum esse existimem. ac primum quidem Lysiae *orationis funebris* §. 22. ed. Bekk. p. 192. ed. H. Steph. quum esset illud pronomen iam olim oblitteratum ne a nouissimis quidem editoribus is locus quem debebat obtinere ei est concessus his in verbis: *ἔτι δ᾽ αὐτοῖς ἐκ τῶν προτέρων ἔργων περὶ τῆς πόλεως τοιαύτη δόξα παρειστήκει, ὡς εἰ μὲν πρότερον ἐπ᾽ ἄλλην πόλιν ἴασιν, ἐκείνοις καὶ Ἀθηναίοις πολεμήσουσι· προθύμως γὰρ τοῖς ἀδικουμένοις ἥξουσι βοηθήσοντες· εἰ δ᾽ ἐνθάδε πρῶτον ἀφίξονται, οὐδένας ἄλλους τῶν Ἑλλήνων τολμήσειν ἑτέρους σώζοντας φανερὰν ἔχθραν πρὸς ἐκείνους ὑπὲρ αὐτῶν καταθέσθαι.* sic vulgo in libris scriptis atque editis hic locus legitur neque est per se quicquam cur hanc loci scripturam improbemus: at quum libri Vaticani duo verba *προθύμως γάρ* omittant, liber autem Florentinus primus qui longe praestat ceteris eorum loco exhibeat *αὐτοὶ γάρ*, non potest esse vlla dubitatio quin quod erat explicationis caussa superscriptum *προθύμως* immerito in ceteros libros irrepserit, veram scripturam vnus ille codex nobis seruarit. nullo enim modo potest intelligi cur quum scriptum esset in libro antiquo *προθύμως γάρ* id sit in *αὐτοὶ γάρ* mutatum, contra quum *αὐτοὶ γάρ* esset scriptum facilis erat eaque non vituperanda explicatio *προθύμως γάρ*, modo ne esset a li-

brariis siue per negligentiam scribentis siue de industria corrigentis in ipsam Lysiae orationem recepta. quod quum ita sit miror quod nemo eorum qui nuper ediderunt Lysiae orationes hanc scripturam asciuit, omnes in glossemate isto acquieuerunt. sunt autem praeter hunc alii quoque loci, vbi istud pronomen ab antiquis grammaticis correctum vel dicam deprauatum esse videatur, quorum ego partem hic pertractabo. sic Aristophanis *Equit.* v. 1062. ed. G. Dind. quum ceteri libri hos versus ita exhiberent:

ἐγὼ δ' ἄλουτος τήμερον γενήσομαι.
αὐτὸς γὰρ ἡμῶν τὰς πυέλους ἀφήρπασεν.

iniuria opinor est a G. Dindorfio quae est in libro Rauennate scriptura recepta:

οὗτος γὰρ ἡμῶν τὰς πυέλους ἀφήρπασεν.

αὐτός enim rectissime hoc loco de Cleone dicitur qui quum se summa quaeque pro rei publicae salute facere ac perferre profiteretur, ipsum ista lauacra suffuratum esse hoc aegrius erat ferendum. esse autem librum Rauennatem quem optimum esse non nego quum saepe alias tum hoc in pronomine quod librarius non intellexisset correctum patet facillime. cf. eiusdem fabulae v. 75 sq.

ἀλλ' οὐχ οἷόν τε τὸν Παφλαγόν' οὐδὲν λαθεῖν·
ἐφορᾷ γὰρ αὐτὸς πάντα.,

vbi quum idem liber Rauennas pro *αὐτὸς* exhiberet *οὗτος*, ceteri autem libri omnes et Suidas vulgatam scripturam confirmarent iure idem Dindorfius illius libri auctoritatem post habuit, ceteri quod exhiberent tuereturque huius loci sententia asciuit. At *Auium* v. 374 sqq. iniuria mihi videtur idem criticus pronomen *αὐτός* ex vnius libri Rauennatis auctoritate in *εὐθὺς* mutauisse quum ceteri libri et Suidas illud defenderent his in verbis:

ἀλλ' ἀπ' ἐχθρῶν δῆτα πολλὰ μανθάνουσιν οἱ σοφοί.
ἡ γὰρ εὐλάβεια σώζει πάντα. παρὰ μὲν οὖν φίλου
οὐ μάθοις ἂν τοῦθ', ὁ δ' ἐχθρὸς αὐτὸς ἐξηνάγκασεν.

etenim quum esset *εὐθύς* scriptum non apparet cur id in *αὐτός* sit mutatum. at quum esset *αὐτός* scriptum idque grammatici parum intellexissent, facilis erat ista coniectura

vt putarent esse scribendum εὐθύς. ista enim medicina, quam alias qui correxit librum Rauennatem adhibuit vt pro αὐτός scriberet οὗτος, hoc loco non poterat abuti. est autem eo minus mirum si antiquus grammaticus hoc de loco dubitauit quod ne a nostris quidem criticis hic locus videtur satis esse intellectus. nam R. Bentleius et I. Seagerus ante cognitam libri optimi scripturam εὐθύς putarunt esse scribendum αὐτό σ᾽ ἐξηνάγκασεν, qua coniectura videmur mihi eo melius posse carere quod neque αὐτό pronomine neque σέ propter ipsam sententiam opus est duoque sic inferuntur quae quum ad sententiam possint abesse optime, ne afferunt quidem aliquid quod etiam si sit non necessarium, tamen ad sententiam clarius efferendam faciat. ad εὐθύς vero quod attinet etsi apparet facile qua id sententia dici voluerit grammaticus, non tamen illud aliquid quod esset hoc loco necessarium affert, imo si diligentius in hunc locum inquirimus videmus languidam hanc fore sententiam si εὐθύς recipiamus. nam non tam quaeritur quam c i t o aliquid ab hoste discere possimus quam num ab h o s t e aliquid possit disci. itaque εὐθύς ab eo est profectum grammatico qui quum vulgatam scripturam parum intellexisset aliquid quaesiuit quod et ad litteras eius verbi quod in codice suo habebat accederet neque prorsus ab huius loci sententia abhorreret reposuitque εὐθύς. illa enim ratio vt dicamus εὐθύς hinc in Aristophanis orationem irrepsisse quod verbum αὐτίκα quod sequitur per εὐθύς esset explicatum, id quod sane ab Atticistis factum est, minus mihi videtur esse veri similis. his disputatis facile arbitror posse intelligi eam scripturam quam libri praeter Rauennatem omnes exhibent et Suidae auctoritas tuetur vnice esse veram. etenim quum hoc loco potissimum istud disceptetur vtrum hostis nos iuuet an non iuuet, rectissime dicitur:

ἀλλ᾽ ἀπ᾽ ἐχθρῶν δῆτα πολλὰ μανθάνουσιν οἱ σοφοί.
ἡ γὰρ εὐλάβεια σώζει πάντα. παρὰ μὲν οὖν φίλου
οὐ μάθοις ἂν τοῦθ᾽, ὁ δ᾽ ἐχθρὸς αὐτὸς ἐξηνάγκασεν.

est enim quum de εὐλαβείᾳ esset sermo quae vel maxime contra hostem adhibenda est aptissime dictum: ὁ δ᾽ ἐχθρὸς

αὐτὸς ἐξηνάγκασεν, i. e. hostis vero ipse contra quem cautione maxime est opus nos docet quem ad modum ab ipso caueamus. itaque haec est huius loci sententia:

denn es rettet weise Vorsicht Alles. von dem Freunde nun lernest du dies schwerlich, doch erheischt's des Feindes Nähe selbst.

ex his spero satis apparere esse iam ab antiquis grammaticis pronomen *αὐτός* immerito mutatum itaque quum non mali libri hoc pronomen tueantur neque omnis loci sententia refragetur non posse dubitari quin hoc potius quam aliud quod eius loco irrepsit probandum sit. hinc emendandus est locus quidam Lysiae cui a criticis nostris non minus quam ab ipsis librariis aegre videtur esse factum. est ille orationis *contra Alcibiadem* I. §. 22. ed. Bekk. p. 141. ed. H. Steph. qui est a Bekkero sic editus: *ἐγὼ τοίνυν ἀξιῶ, ἂν μὲν ἀποδείξωσιν οἱ λέγοντες καὶ αἰτούμενοι ὑπὲρ Ἀλκιβιάδου ὡς ἐστρατεύσατο ἐν τοῖς ὁπλίταις ἢ ὡς ἱππεύειν δεδοκιμασμένος ἐστίν, ἀποψηφίσασθαι· ἐὰν δὲ μηδὲν ἔχοντες δίκαιον κελεύωσιν αὐτῷ ὀργίζεσθαι, μεμνῆσθαι χρὴ ὅτι διδάσκουσιν ὑμᾶς ἐπιορκεῖν καὶ τοῖς νόμοις μὴ πείθεσθαι, καὶ ὅτι λίαν προθύμως τοῖς ἀδικοῦσι βοηθοῦντες πολλοὺς τῶν αὐτῶν ἔργων ἐπιθυμεῖν ποιήσουσιν.* sed sic hunc locum intelligi non posse vir egregius ipse non negauerit idque videtur satis indicasse eo quod praeter librorum scripturas coniecturam quoque Marklandi memorauit. quod autem Bekkerus Reiskii coniecturam ne afferendam quidem putauit, id mihi videtur fecisse rectissime. Foertschius autem Marklandi coniecturam ita probauit vt negationem non diceret esse adiiciendam, sed potius *ὀργίζεσθαι* in *χαρίζεσθαι* mutandum. quam ob rem est ab I. Franzio reprehensus qui Marklandi coniecturam vnice veram esse existimauit. at coniectura opus est nulla eo loco qui nisi vehementer fallor longe certiore medicina adhibita ex libris ipsis potest restitui. ac primum quidem libri omnes pro *αὐτῷ* quod est ex Marklandi coniectura profectum exhibent *αὐτοί.* quae scripturae varietas etsi per se non multum a Marklandi coniectura discrepat, egregie tamen ad

veram huius loci explicandi rationem facit eruendam, qua de re infra dicam. deinde pro *ὀργίζεσθαι, μεμνῆσθαι χρή* liber Florentinus qui est optimus habet *ὀργίζεσθε, μεμνῆσθαι δὲ χρή.* vnde etsi non potest esse obscurum quae sit elicienda scriptura, non tamen queo facile sperare futurum ut sic legentibus de opinione mea persuadeam quin pluribus de loco hoc exponam. quam ob rem sententiam meam argumentis stabiliendam et communiendam censeo interpretandoque explanandam. quod prius quam instituam quoniam ea quam fecit Marklandus coniectura quum magnam veri similitudinis speciem prae se ferret a viris doctis prope omnibus comprobata est, hanc breuiter attingam et conabor ostendere eam si non deteriorem esse libri optimi scriptura, at non antistare certe codicis auctoritati. ac primum cur *αὐτοί* in *αὐτῷ* mutandum sit fateor me nescire, quod Marklandus et Reiskius voluerunt, Bekkerus et Foertschius receperunt, quum neque desiderari pronomen istuc hac in sententia credam, vbi *ἀποψηφίσασθαι* et *ὀργίζεσθαι* inter se opposita facillime sine isto pronomine intelligantur, et *αὐτοί* apprime aptum ad id quod in priore membri parte dicitur esse perspiciam. deinde quod addit Marklandus *μή* negationem ita vt haec verba sic coniungantur: *ἐὰν δὲ μηδὲν ἔχοντες δίκαιον κελεύωσιν αὐτῷ μὴ ὀργίζεσθαι*, miror plerisque editoribus probatam esse hanc coniecturam. nam praeter quam quod aliquantum a librorum scriptura recedit eam efficit sententiam quae etsi non videatur inepta, non sit tamen necessaria. etenim quum dicitur: *ἐὰν δὲ μηδὲν ἔχοντες δίκαιον κελεύωσιν*, satis apparet ex toto hoc loco quid isti homines contendant postulentque, quum haec verba praecesserint: *ἐγὼ τοίνυν ἀξιῶ, ἂν μὲν ἀποδείξωσιν — δεδοκιμασμένος ἐστίν, ἀποψηφίσασθαι.* quod quum ita sit, sic totum hunc locum scribendum atque interpungendum censeo: *ἐγὼ τοίνυν ἀξιῶ, ἂν μὲν ἀποδείξωσιν οἱ λέγοντες καὶ αἰτούμενοι ὑπὲρ Ἀλκιβιάδου ὡς ἐστρατεύσατο ἐν τοῖς ὁπλίταις ἢ ὡς ἱππεύειν δεδοκιμασμένος ἐστίν, ἀποψηφίσασθαι· ἐὰν δὲ μηδὲν ἔχοντες δίκαιον κελεύωσιν αὐτοί, ὀργίζεσθαι. μεμνῆσθαι δὲ χρὴ ὅτι διδάσκουσιν ὑμᾶς ἐπιορκεῖν* etc. sic

enim in libro optimo haec verba leguntur nisi quod pro *ὀργίζεσθαι* habet *ὀργίζεσθε* quod etsi potest ita explicari vt dicamus Lysiam ab inchoata constructione recessisse et pro infinitiuo qui esset a verbo *ἀξιῶ* suspensus scripsisse imperatiuum, non tamen videtur melius imperatiuus in hanc orationem aequabiliter fluentem quadrare quam infinitiuus. hac accedit quod *ὀργίζεσθε* fortasse nihil est aliud quam *ὀργίζεσθαι*, sic enim huius orationis §. 20. ed. Bekk. p. 141. ed. H. Steph. in isto libro *ὀργίζεσθε* pro *ὀργίζεσθαι* est scriptum vbi illud quod ceteri libri tuentur necessario requiritur. est igitur vt supra dixi: *ἐὰν δὲ μηδὲν ἔχοντες δίκαιον κελεύωσιν αὐτοί*, ita dictum vt facillime ex eo qui praecessit infinitiuo *ἀποψηφίσασθαι* sententia possit suppleri. ergo sequitur vt dicam qua ego ratione pronomen *αὐτοί* putem esse adiectum ad *κελεύωσιν*. hoc igitur pronomen quod videtur viros doctos vel maxime lusisse est ad hanc sententiam aptissimum, quo significatur istos homines quum nullam haberent iustam caussam ipsos postulasse i. e. *de suo*, vel *arbitrio suo*. neque id impedit hanc explicationem quod eadem sententia verbis his *μηδὲν ἔχοντες δίκαιον* videtur esse expressa, imo maxime iuuat. istud pronomen enim eodem modo alias quoque est vsurpatum. conferatur locus quidam Sophoclis qui quum sit simillimus omnem quae possit esse de hoc loco dubitationem tollat. est ille Oedipi regis v. 217 sqq.

αἰτεῖς· ἃ δ' αἰτεῖς, τἄμ' ἐὰν θέλῃς ἔπη
κλύων δέχεσθαι τῇ νόσῳ θ' ὑπηρετεῖν,
ἀλκὴν λάβοις ἂν κἀνακούφισιν κακῶν·
ἁγὼ ξένος μὲν τοῦ λόγου τοῦδ' ἐξερῶ,
ξένος δὲ τοῦ πραχθέντος. οὐ γὰρ ἂν μακρὰν
ἴχνευον αὐτὸς μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον.,

vbi pronomen *αὐτός* eodem modo per verba *μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον* explicatur, vt in isto Lysiae loco *αὐτοί* et *μηδὲν ἔχοντες δίκαιον* sese excipiunt. est enim *αὐτὸς ἴχνευον* nihil aliud nisi: *ipse de meo inuestigarem*, quod per verba *μὴ οὐκ ἔχων τι σύμβολον* qui sit accipiendum apertius etiam declaratur. isto autem Lysiae loco si verbum *ὀργίζεσθαι*

ab eo sententiae membro quocum huc vsque erat coniunctum separatur, est necessaria particula δέ quae nisi fuit in antiquo libro nulla apparet caussa cur in librum optimum venerit, potuit autem omitti facillime, quod quum verbum ὀργίζεσθαι esset ad ea quae antecedunt tractum, a verbo μεμνῆσθαι incipere putarunt apodosin: et est hoc loco aptissima quoniam etsi per haec verba nihil nisi explicatio et caussa adiicitur cur debeant hominem vlcisci, id tamen quasi per oppositionem cuius sunt Graeci amantissimi potuit inferri. itaque totus hic locus sic erit interpretandus: *quare ego existimo, quum id quod excusant docuerint planumque fecerint, iustum esse vos hunc hominem absoluere: quum autem nulla iusta de caussa ipsi (i. e. sua sponte) id postulent, poenam exigere.* sic videmus optimam esse eam scripturam atque ad locum hunc accommodatissimam quam ego ex libro Florentino eruendam duxi, virorum autem doctorum coniecturas longe esse post ponendas. nam quod C. Foertschio in mentem venit esse scribendum pro ὀργίζεσθαι omissa negatione quam Marklandus intulit χαρίζεσθαι, hanc coniecturam quum in ceteris Marklandi premat vestigia non est opus refellere. quod autem idem Foertschius in orationis *in Alcibiadem* II. §. 8. ed. Bekk. p. 145. ed. H. Steph. χαρίζοισθε in ὀργίζοισθε voluit mutari, eo prodidit locum a se non satis esse intellectum hunc: εἰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὄντες κύριοι πολλῶν βουλομένων μηδένα τῶν ἄλλων ἱππεύειν εἴασαν, οὐκ ἂν δικαίως χαρίζοισθε αὐτοῖς· εἰ δ' ἄκυροι ὄντες ὁμολογήσουσι τάξαι, ἐνθυμεῖσθαι χρὴ ὅτι ὀμωμόκατε etc. haec est igitur huius loci sententia: *si igitur, iudices, potestate praediti praeter Alcibiadem neminem equo stipendia facere siuissent, non iure hoc illis condonaretis: sin vero hac destitutos auctoritate confitebuntur se illum ad equum rescripsisse, meminisse debetis etc.* est enim his in verbis vsitatissima Atticorum oratorum gradatio, vt dicatur: *si illud feceritis, iniuste faceretis; quum autem hoc commiseritis, non debetis etc.* hanc gradationem isto in loco inesse vidit optime Reiskius ille tamen in

eo falsus quod legentibus hanc periodum faciliorem reddere studuit coniectura sua. is enim scribi voluit: *εἰ μὲν τοίνυν, ὦ ἄνδρες δικασταί, ὄντες κύριοι πολλῶν βουλομένων μηδένα τῶν ἄλλων ἱππεύειν εἴασαν, εἰ καὶ μὴ δικαίως, χαρίζοισθε μὲν ἂν αὐτοῖς· εἰ δ' ἄκυροι ὄντες ὁμολογήσουσι τάξαι, ἐνθυμεῖσθαι χρὴ ὅτι* etc. sed nemo non videt eandem sententiam esse iis verbis quae sunt in libris omnibus, sed breuius elegantiusque expressam. Marklandus autem qui pro *οὐκ ἂν δικαίως* scribi voluit *οὐκ ἂν ἀδίκως* eodem fuit implicitus errore quo Foertschius.

Sed reuertor ad pronomen *αὐτός*, quod mihi iniuria videtur Demosth. orationis de corona §. 286. ed. Bekk. p. 321. ed. Reisk. esse reiectum a nouissimis editoribus. *τὸ δ' αἴτιον οὐκ ἀγνοεῖς μέν, ὅμως δὲ φράσω σοὶ κἀγώ. ἀμφότερ' ᾔδεσαν αὐτοί, τήν τ' ἐμὴν εὔνοιαν καὶ προθυμίαν, μεθ' ἧς τὰ πράγματ' ἔπραττον καὶ τὴν ὑμετέραν ἀδικίαν.*, vbi quum esset vulgata scriptura *αὐτοί*, quam multi iique optimi libri vt Paris. Σ. tuerentur, est tamen ab omnibus editoribus nunc *οὗτοι* repositum, quod esse ex emendatione ortum etiam hinc intelligitur quod duo libri hoc pronomen prorsus omittunt. fuit igitur *αὐτοί* a Demosthene scriptum quod quum non satis intelligerent librarii, alii omiserunt, alii in *οὗτοι* vt saepe alias videmus esse factum mutarunt. at quum totum hunc locum consideramus, facile apparet cur adiunctum sit ad verbum *ᾔδεσαν* pronomen *αὐτοί*, quo significatur quidquid siue de se sit gloriatus Aeschines siue de Demosthenis virtute ac meritis detraxerit populum cognitum habuisse ipsum qua vterque esset erga se voluntate. cf. inprimis §. 284. neque vero Demosth. orat. *contra Nausim.* §. 7. ed. Bekk. p. 986. ed. Reisk. non probanda libri optimi (et Bauarici) scriptura *αὐτοί* pro eo quod vulgo editur *οὗτοι* his in verbis: *ἐγὼ δ' οἶδ' ἀκούων ὅτι τὴν οὐσίαν Ξενοπείθης καὶ Ναυσικράτης ἅπασαν χρέα κατέλιπον καὶ φανερὰν ἐκέκτηντο μικράν τινα· εἰσπραχθέντων δὲ τῶν χρεῶν καὶ τινῶν σκευῶν πραθέντων, ἔτι δ' ἀνδραπόδων, τὰ χωρία καὶ τὰς συνοικίας ἐπρίαντο οἱ ἐπίτροποι, ἃ παρέλαβον αὐτοί.* non enim iniuria hoc vrgetur illos ipsos istud accepisse pretium,

Isaei orat. 1. §. 15. ed. Bekk. p. 36. ed. H. Steph. et a Bekkero et a Schömanno nuper idem pronomen quod aptissimam efficit sententiam immerito neglectum esse videtur his in verbis: *πρὸς δὲ τούτοις ὡς Ποσειδιππον ἔπεμψεν ἐπὶ τὸν ἀστυνόμον, οὗτος δ' οὐ μόνον αὐτὸν οὐκ εἰσεκάλεσεν, ἀλλὰ καὶ ἐλθόντα ἐπὶ τὴν θύραν Ἀρχωνίδην ἀπέπεμψεν.* sic vulgo editur hic locus, at libri Bekkeri omnes vno eoque semper vt supra vidimus interpolato excepto pro *οὐ μόνον αὐτὸν* habent *οὐ μόνον αὐτός* quae quin genuina sit scriptura non potest dubitari. praeter enim quam quod isto accusatiuo nullo pacto opus est ad oratoris sententiam eloquendam, impedit etiam istud pronomen inter *οὐ μόνον* et *οὐκ εἰσεκάλεσεν* positum oppositionis rationem: illud vero *αὐτός* quum grauissimam in se contineat oppositionis significationem, istum locum iure obtinet ac plurimum ad oratoris mentem explanandam confert, quum hoc dicit: *iste vero non solum ipse non vocauit istum, verum etiam remisit quum accessisset.* accedat huc locus quidam Platonis qui legitur in Euthydem. p. II. vol. I. p. 407. ed. Bekk. p. 278. ed. H. Steph., vbi haec verba sunt in libris: *τὰ δὲ μετὰ ταῦτα δῆλον ὅτι τούτω γέ σοι αὐτὼ τὰ σπουδεῖα ἐνδείξεσθον καὶ ἐγὼ ὑφηγήσομαι αὐτοῖν, ἵνα μοὶ ὃ ὑπέσχοντο ἀποδῶσιν.*, vbi mea quidem sententia non recte fecit Bekkerus quod ex Heindorfii coniectura edidit *αὐτὰ τὰ σπουδεῖα*, quoniam pronomen *αὐτώ* facit oppositionem ad id quod sequitur *καὶ ἐγὼ ὑφηγήσομαι*, qua re ita erit hic locus explanandus: *postea vero haud dubie illi tibi ipsi seria expromeni et ego hoc illis iniungam vt mihi quod receperunt exsoluant.* quo autem nomine Heindorfius fuit hoc loco et Bekkerus reprehendendus, eodem Ph. Buttmannus peccauit, quum Platonis *Alcibiad.* II. p. I. vol. II. p. 271 sq. ed. Bekk. p. 138. ed. H. Steph. *οὐκοῦν δοκεῖ σοὶ πολλῆς προμηθείας γε προσδεῖσθαι, ὅπως μὴ λήσει τις αὐτὸν εὐχόμενος μεγάλα κακά, δοκῶν δ' ἀγαθά, οἱ δὲ θεοὶ τύχωσιν ἐν ταύτῃ ὄντες τῇ ἕξει ἐν ᾗ διδόασιν αὐτοὶ ἅ τις εὐχόμενος τυγχάνει;*, vbi miror quod Buttmannus se dixit lubenter carere isto pronomine quod est ad hunc locum aptissimum. aperte enim *αὐτοὶ διδόασιν*

opponitur ei quod sequitur *ἅ τις εὐχόμενος τυγχάνει.* est igitur *διδόασιν αὐτοί sua sponte concedunt.* cf. quem versum attulit Gottleberus Iuuenal. *satir.* X. v. 7.

euertere domos totas optantibus ipsis
di faciles.,

vbi *di faciles* nihil fere est aliud nisi *θεοὶ αὐτοί.* denique Long. *pastoral.* p. 136. non erat quod vir doctissimus haec immutaret verba: *ἀλλ' οὐ συνεχώρει Δρύας, ἠξίου δὲ τῷ πατρὶ λέγειν καὶ πείσειν αὐτὸς ἐπηγγέλλετο.*, vbi est *αὐτός* in *αὐτόν* mutatum. sed haec de hoc pronomine satis sunto.

Venio ad Lysiae orat. 31. quae est *aduersus Philon.* §. 29. ed. Bekk. p. 189. ed. H. Steph. *τίς δ' οὐκ ἂν εἰκότως ἐπιτιμήσειεν ὑμῖν, εἰ τοὺς μετοίκους μὲν ὅτι οὐ κατὰ τὸ προσῆκον ἑαυτοῖς ἐβοήθησαν τῷ δήμῳ, ἐτιμήσατε ἀξίως τῆς πόλεως, τοῦτον δὲ ὅτι παρὰ τὸ προσῆκον προὔδωκε τὴν πόλιν, μὴ κολάσετε, εἰ μή γε ἄλλῳ τινὶ μείζονι, τῇ γε παρούσῃ ἀτιμίᾳ;*, quo in loco quod ego futurum *κολάσετε* reposui pro eo quod Bekkerus edidit *κολάσαιτε* id ex librorum optimorum auctoritate est factum dicamque hac de re alio loco. sed aliud est quod defensione egeat his in verbis, si quidem Bekkerus pro *εἰ μή γε ἄλλῳ* coniecit esse scribendum: *εἰ μὴ καὶ ἄλλῳ*, quod vt hoc loco potest ferri ita videtur esse librorum omnium scripturae longe post ponendum. neque enim quenquam hodie praeterit posse particulam *γέ* non minus in vna eademque enunciatione duplicari quam *ἄν* particulam, modo vtraque particula suum habeat enunciationis membrum ad quod pertineat. hoc autem loco quum pateat vtrique particulae suam posse concedi sententiam, non potest de librorum scriptura vlla esse dubitatio. est autem haec particula quum in vna periodo bis esset posita, aut a criticis emendata immerito aut a librariis per negligentiam oblitterata. sic P. Elmsleius de locis quibusdam Aristophanis dubitauerat iniuria quem erat in editione priore G. quoque Dindorfius secutus, qui tamen in editione maiore de locis quibusdam desiit dubitare rectissime. conf. *Acharn.* v. 91 sqq.

πρεσβ. καὶ νῦν ἄγοντες ἥκομεν ψευδαρτάβαν
τὸν βασιλέως ὀφθαλμόν.
δικ. ἐκκόψειέ γε
κόραξ πατάξας τόν γε σὸν τοῦ πρέσβεως.,

vbi quum facile appareat quem ad modum bis particula ista sit posita iure suo Dindorfius in recentissima editione mutauit consilium idque reposuit quod est in libris omnibus. idemque recte *Auium* v. 584. ad pristinam scripturam quam auctore Elmsleio deseruerat rediit:

εἶθ᾽ ὅ γ᾽ Ἀπόλλων, ἰατρός γ᾽ ὢν ἰάσθω· μισθοφορεῖ δέ.

quo magis mihi videtur esse mirandum quod *Acharnens.* v. 307 sq. librorum scripturam quam Elmsleio auctore olim mutauerat ne nunc quidem seruandam putauit hanc:

πῶς δέ γ᾽ ἂν καλῶς λέγοις ἄν, εἴπερ ἐσπείσω γ᾽ ἅπαξ
οἷσιν οὔτε βωμὸς οὔτε πίστις οὔθ᾽ ὅρκος μένει;,

vbi rectissime duplex γέ particula quum suum quaeque locum obtineat est in libris omnibus. neque vero particula ἔτι quae iis locis quos attulit Elmsleius Eurip. *Suppl.* v. 447. Aristophanis *Auium* v. 829. est aptissima huic loco sine machinis poterit adhiberi. γέ autem particula meo quidem iudicio est ad hunc locum accommodatissima. nemo enim si scriptum esset: οὐδαμῶς δέ γ᾽ ἂν καλῶς λέγοις ἄν, εἴπερ ἐσπείσω γ᾽ ἅπαξ, in iterata ista particula offenderet. cf. Hermann. ad Sophocl. Oed. Col. v. 977.

πῶς γ᾽ ἂν τό γ᾽ ἆκον πρᾶγμ᾽ ἂν εἰκότως ψέγοις;

et ad Sophocl. Philoct. v. 439.

ποῖον γε τούτου πλήν γ᾽ Ὀδυσσέως ἐρεῖς;

tum Aristophanis *Nub.* v. 684 sq. ed. Herm. ex libro Rauennate videtur esse scribendum:

οὐδαμῶς γ᾽ ἐπεὶ
πῶς γ᾽ ἂν καλέσειας ἐντυχὼν Ἀμυνίᾳ;

denique *Auium* v. 640 sq. credo ego eandem particulam esse iterandam his in verbis:

ἀλλ᾽ ὡς τάχιστα δεῖ τι δρᾶν· πρῶτον δέ γε
εἰσέλθετ᾽ εἰς νεοττιάν γε τὴν ἐμήν etc.

nam quod libri habent πρῶτον δέ τε ferri nullo modo potest, quod autem C. Reisigius coniecit esse scribendum

πρῶτον δ' ἴτε id mihi videtur ab huius loci ratione esse alienius.

Sed quoniam iam rursus Aristophanis mentio iniecta est, placet mihi explicare locos quosdam eius poetae in quibus a nouissimis editoribus puto esse dissentiendum, sed ea tantum attingam quae ab huius scriptionis consilio non videantur esse aliena, alia quae maiore egeant explicatione in aliud tempus differam. ac primum quidem quod ego in praefat. ad Clem. Alex. vol. I. p. VII. significaui Aristophanis versus de Acharnensibus 230 sqq. ed. G. Dindorf. ex Suidae et scholiastae annotationibus sic mihi constituendos videri:

κοὐκ ἀνήσω πρὶν ἂν σχοῖνος αὐτοῖσιν ἀντεμπαγῶ
καὶ σκόλοψ ὀξὺς, ὀδυνηρὸς, ἐπίκωπος, ἵνα
μή ποτε πατῶσιν ἔτι τὰς ἐμὰς ἀμπέλους.

ne nunc quidem mihi videtur mutanda sententia, praesertim quum *σκόλοψ ὀξύς* inde ab Homero, quem omnes Graeci plus minusue non minus quam nos scripta sacra, vel inuiti expresserunt in talis valli descriptione sollemnis vox esse videatur. conf. Iliad. *μ*. v. 55 sqq. cl. v. 63 sq.

ὕπερθεν δὲ σκολόπεσσιν
ὀξέσιν ἠρήρει, τοὺς ἔστασαν υἷες Ἀχαιῶν,
πυκνοὺς καὶ μεγάλους, δηίων ἀνδρῶν ἀλεωρήν.

eiusdem fabulae v. 311 sq. mihi videtur etsi in re leui, non recte tamen librorum scriptura nuper esse mutata his in verbis:

οὐχ ἁπάντων, ὦ πανοῦργε; ταῦτα δὴ τολμᾷς λέγειν
ἐμφανῶς ἤδη πρὸς ἡμᾶς; εἶτ' ἐγώ σου φείσομαι;

vbi quum omnes libri cunctaeque editiones exhiberent *εἶτ' ἐγώ σου φείσομαι;*, G. Dindorfius scribendum putauit *εἶτ' ἐγὼ σοῦ φείσομαι;* quod nullo pacto possum probare; non quo librorum auctoritatem tanti esse putem, sed quod sententia illud quod est in libris necessario requirit. *σού* enim pronomen tum demum esset accentu notandum, si alius etiam esset cui videretur esse parcendum; sic autem omnis orationis vis non in pronomine *σού* posita est, sed in verbo *φείσομαι*. neque enim si Latine reddas hunc locum di-

cas: *qui ista audes dicere, postulas vt tibi parcatur,* sed potius: *vt tibi párcatur?* sic credo apparet esse hoc quoque loco librorum scripturam viri doctissimi coniecturae praeferendam. nec magis queo probare quod idem criticus in eadem fabula v. 931 sqq. (v. 960 sqq. ed. mai.) ex Elmsleii praecepto librorum scripturam mutauit his in verbis:

ἐκέλευσε Λάμαχός σε ταυτησὶ δραχμῆς
εἰς τοὺς Χόας αὐτῷ μεταδοῦναι τῶν κιχλῶν,
τριῶν δραχμῶν δ' ἐκέλευε Κωπᾷδ' ἔγχελυν.

vbi Elmsleium versus 933. 1019. 1041. permouerunt vt pro ἐκέλευσε Λάμαχός σε scribendum esse coniiceret ἐκέλευε Λάμαχός σε. at quem ad modum non nego isto quoque loco imperfectum dici potuisse, aoristus tamen cur mutetur nulla plane est caussa, imo mihi videtur etiam melius hunc in locum quadrare. nam quod Elmsleius v. 933. huc vocauit, eius est longe alia ratio. nam quum primum dictum esset ἐκέλευσε atque aliquid quod ad istud primarium mandatum accederet tanquam secundarium eodemque tempore factum quo prius, recte est poeta imperfecto vsus. eademque est versus 1019sqq. ratio quos huc et Elmsleius et Dindorfius traxerunt, vbi haec verba sunt scripta in libris:

παραν. ἔπεμψέ τίς σοι νυμφίος ταυτὶ κρέα
ἐκ τῶν γάμων.
δικ. καλῶς γε ποιῶν ὅστις ἦν.
παραν. ἐκέλευε δ' ἐγχέαι σε τῶν χρεῶν χάριν
ἵνα μὴ στρατεύοιτο etc.,

vbi quum verbum esset primarium ἔπεμψε, recte tum dicitur ἐκέλευε quod eodem est referendum. hoc igitur loco nullo modo potest effici necessario pro ἐκέλευσε v. 931. esse scribendum ἐκέλευε, imo contrarium eorum collatione efficitur. relinquitur v. 1041.

ἰέναι σ' ἐκέλευον οἱ στρατηγοὶ τήμερον
ταχέως λαβόντα τοὺς λόχους καὶ τοὺς λόφους.

ex eo ne quis cum Augusto Matth. gr. Gr. ampliss. §. 505. II. 3. regulam componat his in nunciorum narrationibus imperfectum locum praesentis obtinere, esseque necessario scribendum, quae Elmsleii videtur esse atque Dindorfii

opinio, contendo iam inde ab Homero in huiusce modi narrationibus legitimum fuisse aoristi vsum, imperfectum autem tum recte locum suum obtinere quum is qui narrat vult significare se ipsum aut vidisse aut audisse estque oratio viuidior vel alia caussa est cur imperfecto quod aliorsum spectet vtamur. cf. Iliad. β. 28. el v. 65.

θωρῆξαί σε κέλευσε καρηκομόωντας Ἀχαιούς,
πανσυδίῃ.

ibidem ο. v. 176.

παυσάμενόν σε κέλευσε μάχης ἠδὲ πτολέμοιο
ἔρχεσθαι μετὰ φῦλα θεῶν, ἢ εἰς ἅλα δῖαν.

ibidem ω. v. 175.

λύσασθαί σε κέλευσεν Ὀλύμπιος Ἕκτορα δῖον.

Aristophanis Equit. v. 1023. (1016. ed. mai.) ed. G. Dind.

σώζεσθαί σ' ἐκέλευσ' ἱερὸν κύνα καρχαρόδοντα.

denique conferatur eiusdem fabulae v. 1053 sqq. hic locus qui eum cuius caussa haec scribo optime tuetur:

ἐν ᾧ σε σώζειν τόνδ' ἐκέλευσ' ὁ Λοξίας.

ad quem refertur versus 1054 sq.

τουτονὶ
δῆσαί σ' ἐκέλευε πεντεσυρίγγῳ ξύλῳ.

vbi eodem modo aoristum excipit imperfectum, neque in eo quisquam quantum equidem sciam haesitauit.

Venio ad Ecclesiaz. v. 116 sq., vbi miror quod nuper etiam quae est in omnibus libris scriptura est mutata:

οὐκοῦν ἐπίτηδες ξυνελέγημεν ἐνθάδε,
ὅπως προμελετήσωμεν ἀκεῖ δεῖ λέγειν.

sic libri, at Kiddius ex Dawesii regula scribendum esse putauit *προμελετήσαιμεν*, id non recte fecisse videtur G. Dindorfius quod in recentissima etiam editione seruauit. nam quum a librorum scriptura haec coniectura recedit longius tum etiam ad sententiam illud videtur esse accommodatius quod est in libris facitque hic locus si quisquam alius maxime ad infirmandam Dawesii opinionem. nam quae est vulgaris horum locorum medicina vt futurum reponatur, ea huic loco adhiberi non potest. est autem hoc loco coniunctiuus ideo a tempore praeterito suspensus, quod

hic non tam id vrgetur quod quum congregarentur voluerint, quam quod quum sint congregatae sit agendum. itaque Latine eodem modo dicas: *sumus igitur hic congregatae, vt quid sit dicendum meditemur.*

Eiusdem fabulae v. 269 sqq. alia mihi expellenda videtur coniectura Schaeferi quae est etiam a G. Dindorfio nuperrime repetita. iste locus quum vulgo sic legeretur:

ὑποδεῖσθε δ' ὡς τάχιστα τὰς Λακωνικάς,
ὥσπερ τὸν ἄνδρα θεᾶσθ' ὅτ' εἰς ἐκκλησίαν
μέλλοι βαδίζειν ἢ θύραζ' ἑκάστοτε.

Schaeferus *Meletemm. critt.* p. 88. scribendum esse praecepit *μέλλει,* quod si reliqua verba sic scribimus quem ad modum vulgo eduntur, non facile reiiciendum ducimus. at quum liber Rauennas pro *ἄνδρα θεᾶσθ'* exhibeat *ἄνδρ' ἐθεᾶσθ'* quod Iuntina prima et vt Dindorfio videtur Laurentianus liber confirmant, non potest esse dubium quin haec verba ita sint scribenda:

ὑποδεῖσθε δ' ὡς τάχιστα τὰς Λακωνικάς,
ὥσπερ τὸν ἄνδρ' ἐθεᾶσθ' ὅτ' εἰς ἐκκλησίαν
μέλλοι βαδίζειν ἢ θύραζ' ἑκάστοτε.

hanc rationem si sequimur, neque optimorum librorum scriptura negligitur et sententia quae hoc loco requiritur aptissime declaratur. ad istum autem optatiuum quod attinet is est satis a viris doctis explicatus. cf. G. Hermanni lib. *de particula ἄν* III. c. 2. p. 141. ed. Lips.

Accedat huc alius quidam locus Aristophanis in quo quas turbas vna littera contra librorum autoritatem mutata fecerit facillime spero perspicietur. est ille *Auium* versus 1212 sqq. ed. G. Dind. (v. 1220 sqq. ed. mai.)

οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε· τῇδε μὲν γὰρ οὔ.
ἀδικεῖς δὲ καὶ νῦν. ἆρά γ' οἶσθα τοῦθ' ὅτι
δικαιότατ' ἂν ληφθεῖσα πασῶν Ἰρίδων
ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες;

quo in loco quum nemo praeter G. Dindorfium offendisset, is primus exstitit qui quam haec verba continerent sententiam iudicaret esse ineptam ad hunc locum atque pro *ἀδικεῖς δὲ καὶ νῦν* scribendum praeciperet *ἀδικεῖ δὲ καὶ νῦν*, quam

coniecturam et olim recepit et nuper sequendam putauit. ego vero istam Dindorfii coniecturam nego ad hunc locum esse aptam nihilque habeo incorruptius atque integrius omnium librorum scriptura. quod ne confidenter magis dixisse videar quam vere, de vtraque scriptura paullo est diligentius exponendum. ac primum quidem quod Dindorfius: *verissimum hoc est*, inquit, *iniuriam facere Iridem, neque in ea re haeremus: sed ineptus est in vulgata scriptura sententiarum nexus et ordo*, in eo vir praestantissimus hoc neglexisse videtur quod plurimum confert ad huius loci sententiam recte percipiendam, particulas dico καὶ νῦν. itaque non hoc simpliciter dicitur: *iniuriam facere Iridem*, verum potius illud: *etiam nunc iniuriam facere Iridem*. id neque ante erat dictum neque ad hunc locum est ineptum, quod deinceps docere studebo. quum igitur Dindorfio verba ἀδικεῖς δὲ καὶ νῦν corrupta essent visa, scribendum coniecit esse: ἀδικεῖ δὲ καὶ νῦν., quod ipse sic est interpretatus: *quid quod iniuria tibi fit? nam si paterere quam promerita es poenam, comprehensa morereris.* sed haec sententia neque his verbis quae vir doctissimus edidit continetur neque ad hunc locum est apta. namque haec verba nihil possunt aliud significare quam: *etiam nunc tibi fit iniuria.* nam quod ipse satis callide hanc his in verbis dixit esse sententiam: *quid quod iniuria tibi fit?* id tum demum verum esset, si particulae καὶ νῦν significarent *quid quod —?* vel dicam: *quin etiam.* ceterum vt non nego ἀδικεῖσθαι per quoddam ὀξύμωρον sic posse dici, hoc ego loco contendo id fieri non posse. ista enim ratio tum demum locum haberet suum, si Iris esset conquesta ante nimis acerbam sibi poenam videri quam exigeret Pisthetaerus aut alia caussa cur vteretur Pisthetaerus hoc dicterio fuisset. hoc autem loco et Iris omnia alia locuta erat neque vlla caussa potest inueniri quam ob rem isti ὀξυμώρῳ locus fuerit concessus. nam quos duo locos attulit Dindorfius quibus firmaret coniecturam suam, Euripidis vnum, alterum Plauti, vterque est ab hoc loco alienus. nam in Euripidis Heraclid. v. 970.

τότ' ἠδικήθη πρῶτον οὐ θανὼν ὅδε.,

si quis totum locum considerauerit, facile reperiet iustam caussam cur tam subtiliter loqui voluerit Euripides; etenim quum Alcmene contenderet Eurystheum esse interficiendum, nuncius autem id per leges Atticas negaret posse fieri, erat sane locus isti versui:

τότ' ἠδικήθη πρῶτον οὐ θανὼν ὅδε.

quo hoc significatur: *quod tu ais iniuriam fieri, si Eurystheus interficiatur, dico ego tum fieri iniuriam ei, si non interficiatur.* Plauti autem locus multo minus huc fuit vocandus. est ille versus de *Aulularia* IV. 4. 15.

St. facisne iniuriam mihi an non? Eu. facio quia non pendes maximam.

hic enim aperte alter alterius verba in sententiam detorquet diuersam habetque hic locus nihil cum Aristophanio commune. quae quum ita sint, hunc verbi *ἀδικεῖσθαι* vsum apparet opinor esse ab isto Aristophanis loco alienum. restat vt doceam esse eam sententiam quae manifesto librorum scriptura exprimitur, ad hunc locum aptissimam. nam quum multa Pisthetaerus ex Iride quaesisset, illa autem satis contemptim respondisset ad ea quae interrogauerat, iam supra significauerat Pisthetaerus se hoc aegre ferre, vt versu 1203.

ἤκουσας αὐτῆς οἷον εἰρωνεύεται;

nunc autem quum Pisthetaerus dixisset v. 1209 sq.

κἄπειτα δῆθ' οὕτω σιωπῇ διαπέτει
διὰ τῆς πόλεως τῆς ἀλλοτρίας καὶ τοῦ χάους;

illa vero superbe respondisset:

ποίᾳ γὰρ ἄλλῃ χρὴ πέτεσθαι τοὺς θεούς;

non mirum est quod Pisthetaerus iam in memoriam reuocat sibi Iridem et antea grauem poenam meruisse videri et nunc etiam vehementer peccare quod pergat iniuriam facere. itaque rectissime postquam ad Iridis quaestionem respondit:

οὐκ οἶδα μὰ Δί' ἔγωγε· τῇδε μὲν γὰρ οὔ.

significauit se mirari quod etiam nunc quum esset comprehensa pergeret iniuriam facere adiunxitque grauem peccati exprobationem his verbis:

ἀδικεῖς δὲ καὶ νῦν. ἆρά γ' οἶσθα τοῦθ' ὅτι
δικαιότατ' ἂν ληφθεῖσα πασῶν Ἰρίδων
ἀπέθανες, εἰ τῆς ἀξίας ἐτύγχανες;

quibus verbis hoc dicitur: *facis vero etiam nunc iniuriam, nonne meministi te si id quod commeruisti tibi contigisset, summo iure omnium Iridum iam diu fuisse interemptam.* his disputatis videor mihi hoc effecisse in hoc Aristophanis loco vna detracta littera totam sententiam pessumdari, seruata autem librorum omnium scriptura integram haberi sententiam atque ad id quod requiritur maxime accommodatam.

Sed missum facio Aristophanem atque ad aliorum scriptorum locos me conuerto in quibus ipsis quoque mihi videatur quae est in libris scriptura iniuria esse mutata. Andocidis orationis I. quae est *de mysteriis* §. 19. ed. Bekk. p. 3. ed. H. Steph., vbi haec habemus verba in libris scriptis: *τὰ μὲν γενόμενα ἠκούσατε, ὦ ἄνδρες, καὶ ὑμῖν οἱ μάρτυρες μεμαρτυρήκασιν· ἃ δὲ οἱ κατήγοροι ἐτόλμησαν εἰπεῖν, ἀναμνήσθητε. οὐ γὰρ καὶ δίκαιον ἀπολογεῖσθαι ἀναμιμνήσκοντας τοὺς τῶν κατηγόρων λόγους ἐξελέγχειν.*, quo in loco quum Bekkerus ita a librorum scriptura discessisset vt ex Reiskii coniectura reciperet *οὕτω γὰρ καὶ δίκαιον* pro *οὐ γὰρ καὶ δίκαιον*, Foertschius contra faciliorem sibi visus est reperisse medicinam sanandi loci, vt hanc esse interrogationem diceret eiusque signa post *ἐξελέγχειν* scriberet, quod ait Luzacio quoque in mentem venisse. at mihi mirum videtur esse quod viri doctissimi et qui *οὕτω γὰρ* scribendum putarunt et qui hanc esse interrogationem arbitrati sunt omnes hunc locum simplicem illum quidem ac sincerum non satis intellexerunt. hoc autem inde videtur esse factum quod ad duas potissimum res non attenderunt. primum enim acumen quoddam oratorium hoc loco continetur quod etsi non est adeo tectum, videtur tamen sensum virorum doctissimorum praeteruolasse. deinde *καί* particula quae vt subtilem hanc orationem adiuuaret est posita non satis ab illis videtur intellectum quorsum esset accipienda. hoc igitur dicit orator: *quae facta sint acce-*

pistis, iudices, ac vobis testes dixerunt testimonium: quae autem aduersarii audeant dicere recordamini. non enim etiam iustum est se defendere quum moneas iudices vt aduersariorum commenta examinent. id est denique nihil aliud quam hoc: illorum commenta ita sunt comparata vt ne iustum quidem sit nedum necessarium se defendere monentem iudices vt exquirant illorum crimina. de particulae significatione nemo opinor dubitabit qua dicitur vt alias res omittamus ne iustitiae quidem conuenire. conf. Lysiae orat. 3. §. 44. ed. Bekk. p. 100. ed. H. Steph. *ἐβουλόμην δ' ἂν ἐξεῖναί μοι παρ' ὑμῖν καὶ ἐκ τῶν ἄλλων ἐπιδεῖξαι τὴν τούτου πονηρίαν ἵνα ἐπίστησθε ὅτι πολὺ καὶ δικαιότερον αὐτὸς περὶ θανάτου ἠγωνίζετο ἢ ἑτέρους ὑπὲρ τῆς πατρίδος εἰς κίνδυνον καθίστη.*, vbi ex libris deterioribus vulgo scribitur *ὅτι πολὺ ἂν δικαιότερον.* at particulam *ἄν* necessario requiri hoc loco nemo hodie contendet et alteram particulam facile apparet esse ad hunc locum aptissimam. saepe enim ita cum quadam oppositionis significatione vsurpatur. eodemque modo *οὐδέ* ante *δίκαιον* scriptum videmus, velut Platon. *Criton.* p. 45. C. ed. H. Steph. *ἔτι δέ, ὦ Σώκρατες, οὐδὲ δίκαι'ν μοι δοκεῖς ἐπιχειρεῖν πρᾶγμα σαυτὸν προδοῦναι.* est autem *καί* particula quum ita ad aliud verbum esset adiecta a nostris criticis si fuit in libris oblitterata aut neglecta aut etiam de industria remota, quod locis quibusdam non difficile est docere. ita Parthenii *narratt. amatt.* c. 8. §. 3. p. 9. ed. Passow. iniuria mihi a nouissimo editore videtur esse transposita his in verbis: *παραχρῆμα δὲ τοῦ Κελτοῦ παραγενομένου διεξῆλθεν αὐτῷ τήν τε ἄλην τἀνδρὸς ἡ Ἠρίππη καὶ ὡς αὐτῆς ἕνεκα καὶ ἥκοι λύτρα καταθησόμενος* etc. sic cod. et editiones: sed Bastius, Schneiderus, Iacobsius expungi voluerunt *καί* particulam ante *ἥκοι*, Legrandius in *μέν* mutandam censuit. ab his autem ita dissensit Passouius vt particulam hanc post *ἥκοι* collocandam putaret ederetque *καὶ ὡς αὐτῆς ἕνεκα ἥκοι καὶ λύτρα καταθησόμενος.* at sic non credo Parthenium scripturum fuisse vt *αὐτῆς ἕνεκα* et *λύτρα καταθησόμενος* disiungeret. nam quum verba *λύτρα καταθησόμενος* nihil aliud nisi ex-

plicationem verborum *αὐτῆς ἕνεκα* continerent, omnis particulae omissio pene erat legitima. conf. Homeri Iliad. *α.* v. 152 sq.

οὐ γὰρ ἐγὼ Τρώων ἕνεκ' ἤλυθον αἰχμητάων,
δεῦρο μαχησόμενος.

nihil igitur relinquitur nisi vt aut deleamus particulam *καί* aut eo quo est loco patiamur. ac delenda nullo modo videtur esse, quum intelligi non queat qui hunc in locum venerit aliunde. rectissime autem eo quo est in libro loco retinebitur quum ea significetur maritum et alia fecisse et vero venisse: nos eodem modo dicamus: *und dass er ihretwegen auch gekommen sei um Lösegeld darzubringen.* non maiore vero iure quam hic Passouius L. Dindorfius videtur in Xenoph. *Hipparch.* c. I. §. 19. hanc particulam transposuisse his in verbis: *ἐπιτήδειον δὲ ὑπομιμνήσκειν ὅτι καὶ ἡ πόλις ἀνέχεται δαπανῶσα εἰς τὸ ἱππικὸν ἐγγὺς τετταράκοντα τάλαντα τοῦ ἐνιαυτοῦ, ὡς ἢν πόλεμος γίγνηται, μὴ ζητεῖν δέῃ ἱππικόν, ἀλλ' ἐξ ἑτοίμου ἔχῃ παρεσκευασμένῳ χρῆσθαι.*, vbi si cum L. Dindorfio scriberetur *ὑπομιμνήσκειν καὶ ὅτι* —, omnis huius loci vis deperiret. aperte enim per istam particulam *ἡ πόλις* opponitur *τοῖς ἱππεῦσιν*, id quod ex eo etiam apparet quod deinde dicitur: *ταῦτα ἐνθυμουμένους εἰκὸς καὶ τοὺς ἱππέας μᾶλλον ἀσκεῖν τὴν ἱππικὴν* etc.

Sic Luciani *Alexandr.* §. 12. pag. 229. ed. Fritsch. credo ego ex libro Parisiensi 3011. recipiendam fuisse hanc particulam his in verbis: *ἐσβαλὼν οὖν ὁ Ἀλέξανδρος μετὰ τοιαύτης τραγῳδίας διὰ πολλοῦ ἐς τὴν πατρίδα περίβλεπτός τε καὶ λαμπρὸς ἦν, μεμηνέναι προσποιούμενος, ἐνίοτε καὶ ἀφροῦ ὑποπιμπλάμενος τὸ στόμα — τοῖς δὲ θεῖόν τι καὶ φοβερὸν ἐδόκει καὶ ὁ ἀφρός.* sic Parisiensis iste liber exhibet *καὶ ὁ ἀφρός*, vbi vulgo omittitur *καί*, quae tamen est aptissima ad hunc locum vt dicatur: vel spuma quae res leuissima vix potest prae se ferre speciem sanctitatis. cf. eiusdem Luciani *vitae Demonactis* §. 67. pag. 269 sq. ed. Fritzsch. *οἱ μέντοι Ἀθηναῖοι καὶ ἔθαψαν αὐτὸν δημοσίᾳ μεγαλοπρεπῶς καὶ ἐπιπολὺ ἐπένθησαν καὶ τὸν θῶκον τὸν*

λίθινον; ἐφ' οὗ εἰώθει ὁπότε κάμνοι ἀναπαύεσθαι προσεκύνουν καὶ ἐστεφάνουν εἰς τιμὴν τοῦ ἀνδρὸς, ἡγούμενοι ἱερὸν εἶναι καὶ τὸν λίθον ἐφ' οὗ ἐκαθέζετο., vbi eodem modo est *καί* particula vsurpata.

Maximas vero turbas in loco quodam Lysiae *καί* particula parum intellecta excitauit, orat. 16. §. 5. ed. Bekk. p. 146. ed. H. Steph., quem locum Bekkerus ex libris optimis sic ediderat: *καίτοι οὔτε ἡμᾶς εἰκὸς ἦν εἰς τοιοῦτον καιρὸν ἀφιγμένους ἐπιθυμεῖν μετέχειν τῶν ἀλλοτρίων κινδύνων οὔτ' ἐκεῖνοι φαίνονται τοιαύτην γνώμην ἔχοντες ὥστε καὶ τοῖς ἀποδημοῦσι καὶ τοῖς μηδὲν ἐξαμαρτάνουσι μεταδιδόναι τῆς πολιτείας, ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον καὶ τοὺς συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον.* ante Bekkerum haec verba vulgo sic legebantur: *ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον ἢ τοὺς καταλύσαντας τὸν δῆμον*, quae scriptura ab iis videtur librariis profecta, qui necessario putarunt requiri post *μᾶλλον* particulam comparatiuam, qua hoc loco facillime possumus carere. quam ob rem quum iam Reiskius e libro Coisliniano eandem quam ex suis libris recepit Bekkerus enotasset miramur quod vir egregius non hoc maluit asciscere, quam seruata *ἤ* particula *ἐτίμων* addere ex coniectura. quod autem duo critici nuper etiam de Bekkeri scriptura dubitauerunt id aegre molesteque ferimus. alter enim coniecit esse scribendum: *ἀλλὰ μᾶλλον ἠτίμαζον αὐτοὺς οὐ συγκαταλύσαντας τὸν δῆμον*, alter autem Reiskii coniecturam quem ne nominauit quidem ita suam fecit vt seruata *ἤ* particula pro *ἐτίμων* quod Reiskius voluit addi *ἠσπάζοντο* adiiciendum diceret. ne opus quidem est has coniecturas reprobare, quum quae est ex libris optimis reposita a Bekkero lectio aptissimam afferat sententiam hanc: *tantum aberat vt cum peregrinantibus nulloque scelere obstrictis rem publicam communicarent administrandam, vt eos etiam qui vna rem publicam pessumdederant detrectarent atque contemnerent.* haec sententia et est aptissima et iis verbis quae sunt in libris simplicissime dicitur, vt vberiore explicatione hic locus egere non videatur. recte autem particulas *ἀλλὰ μᾶλλον* suppressa comparatione quae latet in iis quae antecedunt

coll. orat. 21. §. 23. Bekk. p. 163. ed. H. Steph. explicauit C. Foertschius ad Lys. p. 14.

Ventum est ad locum quendum Demosthenis in quo ipso quoque critici iniuria videntur haesitasse neque id tantum nostra aetate, verum etiam antiquo tempore. est hic orationis *contra Androt.* §. 4. ed. Bekk. p. 594. ed. Reisk. *ἐγὼ γὰρ εἰ μὲν ἑώρων τινὰ ἁπλῆν τούτῳ περὶ ὧν φεύγει πρὸς ὑμᾶς οὖσαν ἀπολογίαν, οὐκ ἂν ἐποιούμην περὶ αὐτῆς μνείαν οὐδεμίαν. νῦν δ᾽ οἶδα σαφῶς ὅτι οὗτος ἁπλοῦν μὲν οὐδὲ δίκαιον οὐδὲν ἂν εἰπεῖν ἔχοι, ἐξαπατᾶν δ᾽ ὑμᾶς πειράσεται πλάττων καὶ παράγων πρὸς ἕκαστα τούτων κακούργους λόγους.* his in verbis etsi libri omnes *περὶ αὐτῆς* tuerentur Reiskius tamen coniecit esse scribendum *περὶ αὐτῶν* vt ad verba *περὶ ὧν φεύγει* referretur: id quum a Bekkero esset ita in codice repertum, vt superscriptum esset ab eadem manu *περὶ αὐτῆς*, ipse non dubitauit hanc lectionem recipere eiusque rationem comprobauit Schaeferus. at quo minus viris doctissimis assentiar duae potissimum res impediunt. ac primum quidem librorum omnium consentiens scriptura, nam quod liber ille qui minime est optimus *περὶ αὐτῶν* exhibet, id nisi est ex mero librarii errore ortum quod inde videtur posse concludi quod est correctus, nihil probat aliud quam iam antiquo tempore de hac scriptura a grammatico esse dubitationem motam, quum ceteri iique optimi libri in altera scriptura consentiant. deinde ad sententiam quod attinet fateor dici potuisse *περὶ αὐτῶν*, esse aptius dictum quam *περὶ αὐτῆς* pernego. neque enim tam de iis quae vult defendere exponit quam de ipsa defensione i. e. de ea ratione qua se defensurus sit aduersarius, quam negat fore simplicem atque apertam, sed fallaciis orationisque artificiis ad seducendos iudices accommodatam. sic videtur illud longe esse aptius quod est in optimis plurimisque libris eoque magis miror Schaeferum hoc loco non recessisse a Bekkeri sententia quod supra orat. c. *Mid.* §. 165. ed. Bekk. p. 567 extr. ed. Reisk. recte a Bekkero librorum scripturam defenderat his in verbis: *ἀλλ᾽ αὐτῶν ἕκαστος ἑκὼν ἐπιδοὺς τριήρη οὐκ ἀπέδρα ταύτην τὴν στρα-*

τεῖαν, ἀλλὰ τὴν μὲν ἐπίδοσιν ἐν χάριτος μέρει καὶ δωρεᾶς παρεῖχον πλέουσαν τῇ πόλει, οὗ δ' ὁ νόμος προσέταττεν ἐνταῦθα τοῖς σώμασιν αὐτοὶ λειτουργεῖν ἠξίουν., vbi Bekkerus in verbo *πλέουσαν* ad *ἐπίδοσιν* referendo haesitarat. simillima est ratio loci cuiusdam Luciani qui legitur in *vita Demonactis* §. 63. p. 269. ed. Fritzsch. *τὸ τελευταῖον δὲ ἤδη ὑπέργηρως ὢν ἄκλητος εἰς ἣν τύχοι παριὼν οἰκίαν ἐδείπνει καὶ ἐκάθευδε τῶν ἐνοικούντων θεοῦ τινὰ ἐπιφάνειαν ἡγουμένων τὸ πρᾶγμα καί τινα ἀγαθὸν δαίμονα εἰσεληλυθέναι εἰς τὴν οἰκίαν.*, vbi quum libri omnes *θεοῦ τινὰ ἐπιφάνειαν* exhiberent F. V. Fritzschius nuper putauit esse scribendum *θεοῦ τινὸς ἐπιφάνειαν*, quod etsi potuit hoc loco exspectari, illud tamen quod est in libris omnibus mihi videtur etiam ad sententiam esse accommodatius. est enim *θεοῦ τινα ἐπιφάνειαν* ita dictum vt sit *nescio quem dei aduentum* i. e. felicem quandam atque admirandam dei praesentiam, vt homines nescierint quam fausta dei praesentia digni sint habiti. idque sic Lucianum accipi voluisse inde apparet quod adiunxit *τὸ πρᾶγμα*, quo significatur non tam de persona hoc loco philosophi, quam de ipso aduentu esse sermonem. atque in sequentibus demum ad eum describendum pergit quem philosophum ipsum habuerint his verbis: *καί τινα ἀγαθὸν δαίμονα εἰσεληλυθέναι.* etiam Latini scriptores his in locis interdum sunt secus intellecti atque ipsi videntur voluisse. vt Cic. lib. *Tusculan.* V. c. 37. §. 108. *postremo ad omnis casus facillima ratio est eorum qui ad voluptatem ea referunt quae sequantur in vita, vt quocunque haec loco suppeditent, ibi beate queant viuere.*, vbi etsi quod est ex Dauisii coniectura profectum *suppeditet* a libris quibusdam confirmatur, nullo tamen modo probabile est esse a Tullio scriptum. nam et optimi pluralem numerum libri tuentur et *haec* quum pertineat ad ea quae referentes ad voluptatem sequantur in vita ad hunc locum est accommodatius. lib. *de oratore* I. c. 35. §. 154. *qua (exercitatione) C. Carbonem nostrum illum inimicum solitum esse vti sciebam, vt aut versibus propositis quam maxime grauibus aut oratione aliqua lecta ad eum finem quem memo-*

ria possem comprehendere, eam rem ipsam quam legissem verbis aliis quam maxime possem lectis pronunciarem., vbi Bremius quum pro *quem* scribendum coniecit *quo* studuit efficere vt *comprehendere* non ad *finem* sed ad ipsam orationem referretur: at *ad eum finem* est ita dictum vt quasi modum quendam illius orationis significet quem possis memoria comprehendere. namque hic *finis* non solum id significat incisum in quo subsistas, verum etiam quod ante id legeris. lib. *de oratore* II. c. 32. §. 140. *quo modo nunc se istorum artes habent, pertimescenda est multitudo caussarum: est enim infinita, si in personis ponitur.*, vbi quod Orellius ex Lambini coniectura *ponuntur* commendauit, non est necessarium. nam etsi *ponitur* magis ad caussas debet pertinere quam ad multitudinem earum, potuit tamen per quandam attractionem ex eo quod ad rem grammaticam erat primarium nomen verbum *ponitur* suspendi, ita vt non tam multitudinis notio quam numeri significatio quae *multitudinis* nomine continetur vrgeretur.

T H E S I S.

Homeri Iliad. σ. v. 500. scribendum videtur esse:

ὁ δ' ἀναίνετο μηδὲ ἑλέσθαι.